SUMMULÆ LOGICÆ, USITATA IN SCHOLIS METHODO...

Jakob Dedelley

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 E
34

14. 1. F. 28

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom.

SUMMULÆ LOGICÆ,

Uſitata in Scholis Methodo propoſitæ.

Sive

DIALECTICA,

ùt vocant

MINOR,

Ex Organo, Principiiſque Ariſtotelis Stagyritæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Auctore

P. JACOBO DEDELLEY

SOCIETATIS JESU,

In Alma, & Electorali Univerſitate Ingolſtadienſi olim Philoſophiæ Profeſſore ordinario.

Editio quarta.

Cum Facultate Superiorum, ac Privilegio Cæſareo.

INGOLSTADII.

Sumptibus Viduæ IOANNIS ANDREÆ de la HATE, Bibliopolæ Academici.

Typis Joannis Pauli Schleig, Typogr. Academ.

ANNO M. DCC. XXXXIV.

Digitized by Google

Propoſitum quidem Negotii eſt, Methodum invenire, per quam poterimus ſyllogizare de omni propoſito Problemate. Ariſtotel. L. 1. Topic. c. 1.

Digitized by Google

ARGUMENTUM OPUSCULI.

COntemptum vulgò, aut etiam inviſum Summularum nomen eſt; quas videlicet inutilem Tyronum laborem autumant. Sed alia Sapientum, quos quidem audire, vel legere mihi contigit, mens eſt, & opinio; quippe qui Logicæ Summulas, ſive, quod idem eſt, Dialecticam, ad omnem, quæ ordinata ſit, Diſciplinam, non utiliſſimas modò, ſed planè neceſſarias, diuturnâ nimirum experientiâ edocti, fatentur ultro, & contendunt. Rationem afferunt, quam habet Albertus Magnus, videlicet: qui Logicam neſcit, etſi ſcire aliquid videatur, neſcit tamen; cùm rationem ſui ſciti neſciat. Prædic. c. 32.

Frequentes fuerunt, qui poſt Ariſtotelem Dialecticæ præcipuum Inventorem Logicam elucubrârunt; ex quibus Toletus noſter ſtylo ſuccincto, Volumine tamen ſat amplo, quidquid ferè Præceptorum hac in ſcientia traditur à reliquis, feliciter eſt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

complexus. Tot autem inter Authores nullum, ſive ex Antiquis, ſive ex Recentioribus, reperi, qui uſitatum in Scholis ævo noſtro tradendæ Dialectices Modum accuratè teneret. Subiit igitur Methodum hanc tentare; atque hoc ipſum Libello huic præfixi Argumentum.

Equidem ab Oviedi mente non ſum alienus, qui in Dialecticis Præceptis Explicationem potiùs adhibendam cenſet, quàm Diſputationem inſtituendam; pleraque enim, ùt ait Auctor ille, ſunt omnino certa, fixiſque Regulis definita; quæ vix fallacibus Argumentis valeant attrectari; tantùm abeſt, ut efficacibus Rationibûs poſſint concuti. Operæ tamen pretium viſum eſt, ac etiam quadam ratione neceſſarium, Objectiones pro more interſerere, quarum occaſione, Præcepta magìs explicarentur, ſimúlque Philoſophiæ Candidatis Materia ſuppeditaretur, & Modus oſtenderetur argumentandi, & reſpondendi.

In Prœm. ad Introd. ad Log.

Ca-

Digitized by Google

Cæterùm Brevitatem Claritati ita conjungere ſum conatus, ut nihil tum in Præceptis, tum in Demonſtrationibus, ac etiam in iis, quæ opponi poſſunt, ad formandum Dialecticum facere viderentur, omitterem; iis verò ſive Annotationibus, ſive Tricis, quæ Tyronem fatigant potiùs, quàm inſtruunt, negotium porrò facerem expeditum. Ad Claritatem quoque, & Utentis commodum Titulos, & Notas adjeci in Margine, in quibus uno velut obtutu cerni poſſunt, quæ continentur in contextu.

Poſtremò autem dum ſtudium, quod oportet, intenditur comprehendendæ Dialecticæ, auditáque, & lecta, ùt neceſſe eſt, recoluntur ſæpiùs; ac quæ præcepta ſunt, frequenti Collatione, Concertationéque deducuntur in Uſum; illud potiſſimùm intentum cupio, ut nobilis Perdiſcentium Labor, & Opella hæc quæcunque mea integrè cedant ad Majorem DEI Gloriam.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
cum Privilegio Cæſareo.

Cùm D. Joannis Andreæ de la Haye, Bibliopolæ Academici Ingolſtadienſis Vidua, Typis iteratò vulgare deſideret Summulas Logicæ à P. Jacobo Dedelley Societatis Noſtræ Sacerdote conſcriptas: Ego JACOBUS UNGLERT Societatis JEſu per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab A. R. P. Noſtro, Franciſco Retz, Univerſæ Societatis Præpoſito Generali, eidem ad hanc quartam duntaxat Editionem Facultatem impertio; ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis prohibetur, ne dictum Librum citra Superiorum conſenſum recudere, vel intra fines Sacri Romani Imperii inferre præſumant. In quorum fidem has mea manu, & conſueto Officii Sigillo munitas dedi.

Ingolſtadii, 15. Febr. 1744.

(L.S.)

JACOBUS UNGLERT.

Digitized by Google

SUMMULÆ LOGICÆ.

De Operationibus Mentis in Genere; ac Diviſio Opuſculi.

LOGICA in id unum incumbit, ut Opera Intellectûs humani ſeipſo incerti, ac inter Verum, & Falſum fluctuantis, per certas Leges ad rectum dirigat; unde etiam Dialectica, ſive Ars ratiocinandi nuncupatur. Opus verò Intellectûs, ſeu Operatio Mentis in genere eſt Vitalis imago, ac repræſentatio illius, quod cognoſcitur. Quod Intellectui repræſentatur, & ab illo cognoſcitur, vocatur Objectum, & ipſa Cognitio eſt Mentis Operatio. Exemplum deſumi poteſt ex Operatione Oculi, ſeu Viſione. Litteræ in papyro ſcriptæ, vel impreſſæ, ſunt Objectum Viſionis, ac Oculi; ipſe autem Aſpectus Litterarum, quem oculus exercet, eſt Operatio Oculi. Eodem prorſus modo, quando de DEO, Verbi gratiâ, aliquid cogito, vel cognoſco; Deus eſt Objectum meæ Cognitionis, ac mei Intelle-

Operatio Mentis in genere.

ctûs; ipſa verò Cogitatio de Deo, vel Dei Cognitio, eſt Mentis Operatio.

Operatio Mentis eſt triplex.

Triplex autem eſt Modus, quo Intellectus Objectum cognoſcit; ex quo etiam triplex eſt Mentis Operatio. Primò enim vel Objectum cognoſcit ſimplici quodam intuitu, nihilque de eo judicat, nihil affirmat, aut negat; & hæc dicitur Prima Mentis Operatio, ſeu Simplex Apprehenſio; ùt cùm cogito de homine, ſed nihil de illo affirmo, vel nego; nec dico, an ſit doctus, vel indoctus; albus, an niger.

Simplex Apprehenſio.

Secundò vel fert Intellectus de Objecto Judicium, & Sententiam, & aliquid de ipſo affirmat, aut negat; aliquid ab ipſo ſeparat, aut ei conjungit; & tunc dicitur Secunda Mentis Operatio, ſive Judicium immediatum; vocatur etiam Affirmatio, vel Negatio. Exemplo eſſe poſſunt hæ Propoſitiones: *Leo eſt animal. Homo non eſt lapis.*

Judicium immediatum.

Tertiò denique poteſt Intellectus unum deducere ex alio; & tunc habetur Tertia mentis Operatio, ſive Diſcurſus; per quem ex cognitione alicujus rei devenimus ad cognitionem alterius; ùt ſi quis ita ratiocinetur: *Omnis qui diligenter ſtudet, evadet doctus: Sed Petrus diligenter ſtudet;* Ex his duabus Propoſitionibus cognitis pertinget ad cognitionem iſtius tertiæ priùs incognitæ: *Ergo Petrus evadet doctus.* Aliud Exemplum iſtud eſto: *Deus eſt ſummum Bonum: Ergo eſt amore digniſſimus*; in quo ex priori Propoſitione eruitur altera.

Diſcurſus.

Si

Si porro in Diſcurſu ſint tres Propoſitiones, vulgò, ac inter Diſputandum, prima dicitur Major, ſecunda Minor, tertia denique Concluſio; ſi verò in eodem duæ tantùm Propoſitiones reperiantur; prior ſimpliciter Antecedens vocatur, altera eſt Conſequens, ſive rurſum Concluſio. Si Concluſio ſit concedenda, dicitur: Concedo Conſequentiam; pariter ſi ſit neganda, dicitur: Nego Conſequentiam. Si verò ſit diſtinguenda, dicitur: Diſtinguo Conſequens; cujus rei Ratio infra dabitur, cùm agemus de Syllogiſmo. *Quomodò vocentur Propoſitiones in Diſcurſu.*

Jam verò juxta triplicem hanc Intellectûs Operationem Summulas noſtras in tres quoque Quæſtiones, veluti in totidem partes cum Ariſtotele dividemus. De his, quæ pertinent ad Primam, egit Philoſophus in Libris Prædicamentorum: De iis quæ ad Secundam, in Libris Perihermenias, ſeu de Interpretatione: Et de iis, quæ ad Tertiam in Libris Analyticorum, & Topicorum; quem nos etiam ordinem, Deo Auſpice, ſequemur. *Ordo Opuſculi.*

QUÆSTIO PRIMA.

De iis, quæ ſpectant ad Primam Mentis Operationem.

AD primam Mentis Operationem ſpectant Termini, à quibus proin, tan-

quam Minoribus, incipimus, ad Majora dein progreſſuri. Cæterùm quod in omni Diſciplina accurata fieri ſolet, id etiam obſervabimus: ut primò quæramus, Quid ſit res; dein Quotuplex; ac denique ut reliquas ejus Proprietates indagemus. Cùm verò Definitio, & Diviſio ad Terminos complexos revocentur, eas etiam poſtremò tractandas ſuſcipiemus.

ARTICULUS I.

Quid ſit Terminus in Genere.

Varia Termini acceptio.

TErminus à Terminando dicitur; hinc varia paſſim eſt ejus ſignificatio, ùt notat Arriaga Introd. ad Log. Diſp. 1. Sect. 1. Primò accipitur pro eo, quod ſibi adipiſcendum quis proponit, aut ad quod tendit; ſic qui Romam pergit, dicitur, poſtquam illuc pervenit, attigiſſe Terminum. Eo etiam ſenſu Gloria Cœleſtis eſt Terminus Juſtorum. 2. Sumitur pro Extremis cujusque Rei; ùt duo Extrema Lineæ ſunt ejus Termini. 3. Pro Principio, aut Fine; ſic Mors eſt Terminus Vitæ. Hac ratione Æternitas nullos Terminos habere dicitur; quia nec initium habet, nec finem. 4. Solet Terminus accipi pro certis loquendi Formulis, quibus Scientiæ, & Artes utuntur; ſic Venatores, Architecti, Juriſconſulti, & univerſim omnes, qui ex Arte agunt, aut ſci-

ſcientificè loquuntur, propria quæpiam Vocabula uſurpant, quæ ſi quis non calleat, ipſos Artis, vel Scientiæ Terminos ignorare dicitur. Nos hìc de Terminis ſecundùm eam duntaxat Rationem agimus, quâ ſpectant ad Propoſitionem. Ut ergo clariùs procedatur, & ſcientifica Termini Definitio faciliùs percipiatur, ipſius Propoſitionis quædam Notio eſt præmittenda. *De quo Termino hìc agatur.*

PARAGRAPHUS I.

Aliqua de Propoſitione prænotantur.

1. NOtandum eſt 1. Quòd Propoſitio juxta Ariſtotelem l. 1. Prior. c. 1. ſit Oratio Affirmativa, vel Negativa alicujus de aliquo, ùt: *Petrus eſt Homo.* Tres potiſſimùm Partes conſtituunt Propoſitionem: 1. Subjectum. 2. Prædicatum. 3. Copula. Subjectum eſt id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur; ùt in allata Propoſitione, *Petrus.* Prædicatum eſt id, quod affirmatur, aut itidem negatur; ùt in eadem, *Homo.* Copula eſt id, quod Subjectum, & Prædicatum inter ſe connectit, & hæc ſemper exprimitur per verbum, *Sum*; in quibuscunque dein Modis, Temporibus, aut Perſonis. Subjectum, & Prædicatum dicuntur etiam Extrema. In Propoſitionibus Negativis Copulæ præponitur particula, *Non*, quæ dicitur, *Quid ſit Propoſitio; Subjectum. Prædicatum; Copula.*

citur, *Malignantis naturæ;* quia id omne negat, quod poſt ſe reperit; unde tunc Copula non unit Extrema; ſed ob præfixam Notam ea dividit, ac Prædicatum negatur de Subjecto; ùt videre eſt in hac Propoſitione: *Petrus non eſt doctus.*

Propoſitio Mentalis. 2. Not. 2. Propoſitionem aliam eſſe Mentalem, aliam Vocalem, & aliam Scriptam. Propoſitio Mentalis eſt, cùm Mente duntaxat aliquid affirmamus, aut negamus; *Vocalis.* Vocalis eſt, cùm id, quod in Mente habemus, etiam Voce exprimimus. *Scripta.* Scripta denique dicitur, cùm idipſum etiam Scripto annotamus. Dein, ùt ait Oviedo *Objectiva.* in Summul. Controv. 1. Punct. 2. num. 2. Alia eſt rurſum Propoſitio Objectiva, & alia Formalis. Propoſitio Objectiva eſt res ipſa, quæ cognoſcitur; Ea tamen non eſt propriè, & rigoroſè Propoſitio; ſed eſt potiùs Objectum Propoſitionis, & inſtituitur in eſſe Propoſitionis Objectivæ, tanquam per Formam extrinſecam, per Propoſitionem Formalem. Propoſitio autem *Formalis.* Formalis eſt ipſa Expreſſio rei cognitæ; ſive dein ea Expreſſio Mente ſolùm fiat, ſive Voce, ſive Scripto. Propoſitiones Vocalis, & Scripta rurſus tantùm ſecundùm quid, & impropriè ſunt Propoſitiones; quia ipſæ non affirmant propriè, aut negant; ſed duntaxat ſunt Signa Affirmationis, aut Negationis, quæ fit per Propoſitionem Mentalem.

Copula non ſemper po- 3. Not. 3. Copulam non poni in omni Propoſitione Explicitè; ſed ſubinde ponitur

tur tantùm Implicitè,& Æquivalenter; ùt cùm dico: *Petrus currit*; Senſus enim eſt: *Petrus eſt currens.* Poteſt etiam integra Propoſitio contineri unico Vocabulo,ubi ipſum Subjectum cum Copula erit duntaxat Implicitum, ùt: *Pluit; Ningit*; in quibus Senſus eſt: *Cœlum eſt pluens; Cœlum eſt ningens.* *nitur Explicitè.*

4. Not. 4. Nihil intereſſe quoad Denominationem Partium Propoſitionis, quo ordine voces collocentur; nec enim vocabulorum ſitus, ſed eorum ſenſus,& officium id determinat. Sic eadem eſt Propoſitio, ſive dicam: *Vitium eſt turpe*; *Eſt turpe vitium*, *Vitium turpe eſt*; ac utrobique: *Vitium*, eſt Subjectum; quia de ipſo aliquid aſſeritur: *Turpe*, eſt Prædicatum; quia eſt id, quod de altero aſſeritur: & vox, *Eſt*, eſt Copula; quia Subjectum, & Prædicatum inter ſe connectit. Ordinatior tamen, & uſitatior eſt Propoſitio, in qua Subjectum primo loco ponitur, Prædicatum ultimo, Copula medio. *Quâ ratione ordinetur Propoſitio.*

5. Not. inſuper 5. Ad conſtituendam bonam Definitionem potiſſimùm requiri; Primò ut de re definienda,ſeu de Definito, afferatur tale Prædicatum, in quo Definitum cum aliis pluribus conveniat, & hoc Prædicatum vocari ſolet, *Genus*; Secundò ut Generi adjungatur aliud Prædicatum, per quod Definitum differat ab omnibus aliis rebus,& hoc Prædicatum, *Differentia*, appellatur. Sic ſi definiendus ſit homo, dici debet: *Homo eſt animal rationalis* *Quænam requirantur ad bonam Definitionem.*

Digitized by Google

tionale; ubi vox: *Animal*, eſt Genus; quia per illam homo convenit cum pluribus aliis, nempe cum animalibus omnibus; Vox verò, ſeu Prædicatum: *Rationale*, eſt Differentia; quia per hoc homo differt ab omni alio animali; cùm nullum animal ſit rationale præter hominem. Cæterùm ad bonam Definitionem adhuc præ aliis neceſſe eſt, ut illa ſit clarior ſuo Definito, conveniátque Omni, & Soli, ùt ſuo loco explicabitur.

PARAGRAPHUS II.

Traditur ipſa Definitio Termini.

Varia Definitiones Termini.

6. JAm verò in aſſignanda Termini Logici Definitione magna eſt contentio. Alii dicunt, Terminum eſſe Extremum Propoſitionis. Alii, eſſe Partem, in quam immediatè reſolvitur Propoſitio. Alii, eſſe Id, quod ponitur in Propoſitione ùt Subjectum, vel Prædicatum. Alii, eſſe Partem ùt quod Propoſitionis. Quæ tamen omnes, & aliæ ejuſmodi Definitiones non videntur quòad ſubſtantiam diſcrepare; nec ego eas improbo, dummodò accuratè percipias, quid ſit Terminus. Quia autem Ariſtotelem explicare aggredimur, & ipſe Definitionem Termini affert, quæ commoda eſt, ac bona; ideo ne in ipſo ſtatim Philoſo-

Digitized by Google

loſophiæ limine ab ipſo diſcrepemus, videtur hæc retinenda; vel certè, ſi quæ poni poſſit, quæ claris verbis genuinum ipſius ſenſum exprimat, hæc erit ponenda. Itaque ſic habet Philoſophus L. 1. Prior. c. 1. Terminum autem voco, in quem reſolvitur Propoſitio ùt Prædicatum, & de quo prædicatur, appoſito, vel diviſo eſſe, vel non eſſe. Clariùs, & breviùs hæc Definitio à multis ſic proponitur: Terminus eſt Id, in quod reſolvitur Propoſitio tanquam in Prædicatum, & Subjectum. Unde inferunt, quod quidam explicitè ponunt, ùt ſupra notatum eſt; nimirum Terminum eſſe, quod remanet ſoluta Propoſitione, ſeu ablatâ Copulâ. Verùm probabiliùs videtur, Ariſtotelem in Dialecticis per Reſolutionem intelligere Aſſignationem partium ab intellectu factam; ùt colligere eſt ex ipſo Titulo ad Libros Priorum, ac Poſteriorum, quos inſcripſit Analyticorum, ſive Reſolutorios, in quibus tamen aliud non facit, quàm aſſignare, quæ ſint Syllogiſmi partes, & Principia. Conformiter itaque ad hanc expoſitionem

Noſtra Definitio Termini.

Dico. Terminus eſt id, quod conſtituit Propoſitionem tanquam Prædicatum, & Subjectum. Vel ſi mavis, Terminus eſt Conſtitutivum Propoſitionis tanquam Prædicatum, & Subjectum. In hac Definitione Genus eſt: Id, quod conſtituit Propoſitionem; quia per hæc convenit Terminus etiam cum Copula, quæ, ùt infra exponetur, non eſt Terminus. Ali-

qui

qui dicunt, Genus eſſe: Id; ſed iſti accipiunt Genus latiſſimum. Cætera ſe habent per modum Differentiæ; quia per hæc Terminus diſtinguitur ab omni eo, quod Terminus non eſt. Particula, *Et*, ab Ariſtotele hìc ſumitur disjunctivè, éſtque ſenſus: Terminum in Propoſitione eſſe Subjectum, vel Prædicatum. Probatur jam bonitas noſtræ Definitionis. Illa Definitio eſt bona, quæ convenit omni & ſoli, éſtque clarior ſuo Definito, nec ullo alio vitio laborat: Sed noſtra Definitio convenit omni & ſoli, éſtque clarior ſuo Definito, nec ullo alio vitio laborat: Ergo eſt bona. Major ab omnibus ultrò ponitur; illa enim ſunt requiſita bonæ Definitionis, ùt paulò antè notavimus, & clarum erit etiam inferiùs, quando agemus de Definitione. Minor autem probatur. Inprimis enim noſtra Definitio convenit omni; cùm nihil poſſit oſtendi, quod ſit Terminus, & cui ea non conveniat; Dein convenit etiam ſoli; cùm itidem nihil poſſit oſtendi, quod non ſit Terminus, & cui ea conveniat; quæ omnia patebunt ex ſolutione Objectionum. Clarior autem eſt ſuo Definito; quia intelligenti Terminos clariùs utique explicat, quid ſit Terminus, quàm vox hæc unica: *Terminus*, quæ eſt formale Definitum. Accedit, quòd probabiliùs ſit ipſa Definitio Termini Ariſtotelica, clarioribus verbis propoſita. Ex his

Termini ſunt Subjecta,

8. Colliges 1. Terminum eſſe Subjectum, & Prædicatum Propoſitionis; ùt ſi

ſi dico: ***Petrus eſt homo;*** Termini ſunt: ***Petrus***, ***Et***, ***Homo***; quia in hac Propoſitione iſtud eſt Prædicatum, illud verò Subjectum. Termini autem vocantur, & ſunt etiam extra Propoſitionem; nec enim ad id requiritur, ut actu ſint ſubjectum, aut Prædicatum; ſicut ad Signum non requiritur, ut actu exerceat rationem Signi, ſed ſufficit proxima aptitudo, & potentia ad ſignificandum. Sic etiam Animal dicitur ſenſitivum, Homo rationalis, licèt Animal non ſemper actu ſentiat, nec Homo ſemper actu ratiocinetur; ac inſuper verba in Definitionibus poſita plerumque non ſignificant Actum, ſed duntaxat Potentiam. Ut tamen Terminus exerceat rationem Termini, debet eſſe actu in Propoſitione Subjectum, aut Prædicatum; ſicut ad Signum, ut exerceat rationem Signi, requiritur, ut actu ſignificet.

ctum, & Prædicatum.

Etiam extra Propoſitionem.

9. Coll. 2. Cum Hurtado Diſp. 1. Sect. 6. contra Lynceum l. 3. Tract. 1. Copulam Formaliter ſumptam non eſſe Terminum; quia ſub hoc reſpectu non poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum; ſed eſt duntaxat Nexus Subjecti, & Prædicati. Poteſt autem Copula eſſe Terminus, ſi materialiter ſumatur; quia ſic poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum. Cæterùm Formaliter ſumitur Copula, cùm ſumitur pro ſuo Significato; ſeu, cùm Subjectum, & Prædicatum inter ſe connectit. Eadem verò materialiter ſumitur, cùm ſumitur pro ſe ipſa; ùt ſi dico:

Copula Formaliter ſumpta non eſt Terminus.

Quando Copula ſumatur Formaliter;

Et quando Materialiter.

co: *Homo eſt riſibilis*; Copula ſumitur Formaliter; eo quòd Subjectum, & Prædicatum connectat; ſi verò dico: *Eſt*, *eſt Copula*; *Eſt*, primo loco poſitum ſumitur materialiter; eo quòd ſumatur pro ſeipſo. Sic etiam vox alia quælibet ſumitur Materialiter, cùm ſumitur pro ſeipſa; ſumitur verò Formaliter, cùm ſumitur pro ſuo Significato. Quæ verò dicuntur de Copula, *Eſt*; intelligi etiam debent de quovis alio Verbo, ùt ſunt: *Amo*, *Doceo*; quorum nullum, ſi ſumatur Formaliter, eſt Terminus; ob illam itidem rationem, quòd non poſſit eſſe Subjectum, vel Prædicatum.

An Caſus Obliqui, Præpoſitiones, Adverbia, aut Conjunctiones, ſint Termini.

10. Coll. 3. Caſus Obliquos, quales ſunt Genitivus, Dativus, ùt: *Virtuti*, *Domino*; & omnes præter Nominativum, qui Rectus dicitur; Præpoſitiones, quales ſunt: *Ad*, *Apud*, *Ante*, *Præ*; Adverbia, veluti: *Benè*, *raro*, *Velociter*; Conjunctiones, prout: *Et*, *Atque*, ſi Formaliter ſumantur, & pro ſuo Significato, non eſſe Terminos, ùt notat Toletus Introd. ad Dialect. L. 1. c. 12. Ratio iterum eſt; quia ſic non poſſunt eſſe Subjectum, vel Prædicatum. Poſſunt tamen hæc dici Termini Analogicè, Reductivè, & impropriè tales, ſive potiùs Affectiones Terminorum; quia Subjectum, & Prædicatum certa ratione attingunt, afficiuntque, ac ſe ex illius parte tenent, & id veluti augent, vel minuunt, aut etiam quodam modo ex parte conſtituunt. Exemplum deſumi poteſt

poteſt ex his Propoſitionibus: *Omnis Logicus eſt doctus. Principes Europæ modiuntur pacem. Virtus eſt ſummoperè laudabilis*; in quibus voces: *Omnis*, & *Europæ*; ſe tenent ex parte Subjecti, illúdque partialiter conſtituunt: *Summoperè* autem afficit Prædicatum, illúdque majus reddit. Porro integræ Propoſitiones fungi poſſunt munere Subjecti, vel Prædicati, ùt cùm dico: *Vacare culpâ, magnum eſt ſolatium*; Propoſitio hæc: *Vacare culpâ*, eſt Subjectum. Voces autem Non ſignificativæ, ùt: *Blictri*; nec videntur ſumi poſſe propriè Formaliter, contra quàm ſentiat Oviedo Controv. 1. Punct. 1. n. 41. cùm ſumi nequeant pro ſuo Significato, quod nullum habent; nec ſub hac ratione poſſunt eſſe Termini. Sunt tamen hæ, ac reliquæ ſuperiùs allatæ Termini, ſi ſumuntur Materialiter, eo, quo dictum eſt, Modo de Copula. Exemplo ſint hæ Propoſitiones: *Blictri, eſt vox diſſyllaba; Muſarum, eſt Genitivus pluralis.* His poſitis aliquas Objectiones, quàm fieri poterit, dilucidiſſimas, & ad Tyronis captum, exercitii, & majoris claritatis, ſtabiliendæque magis noſtræ Definitionis causâ adducemus, ac ſolvemus.

Integra Propoſitio poteſt eſſe loco Termini.

Qua ratione voces Non ſignificativæ ſint Termini.

Solvuntur Objectiones.

11\. OBjicitur 1. Noſtra Definitio non convenit ſoli Termino: Ergo

non eſt bona. Prob. Ant. Noſtra Definitio convenit Copulæ: Sed Copula non eſt Terminus: Ergo non convenit ſoli Termino. P. Major. Copula etiam conſtituit Propoſitionem: Ergo etiam Copulæ convenit noſtra Definitio.

Reſpondeo, Nego Antecedens. Ad Probationem Diſtinguo A. Copula etiam conſtituit Propoſitionem tanquam Subjectum, vel Prædicatum, N. A. tanquam nexus, & unio Subjecti, & Prædicati, C. A. & N. Conſequentiam.

12. Dices 1. In hac Propoſitione: *Eſt, eſt Copula; Eſt*, eſt Subjectum: Ergo Copula etiam conſtituit Propoſitionem tanquam Subjectum. Par ratio eſt de Prædicato.

R. D. A. In hac Propoſitione, *Eſt*, Materialiter ſumptum, & primo loco poſitum eſt Subjectum, C. A. *Eſt*, Formaliter ſumptum, & ſecundo loco poſitum, ſeu quod eſt actualis, & formalis nexus nectens Subjectum, & Prædicatum, eſt Subjectum, N. A. & D. Conſequens: Ergo Copula Materialiter ſumpta conſtituit Propoſitionem tanquam Subjectum, C. Conſequentiam. Copula Formaliter ſumpta conſtituit Propoſitionem tanquam Subjectum, N. C. Cæterùm materialiter ſumitur, quando non actu eſt nexus Subjecti, & Prædicati in Propoſitione, quam conſtituit, ùt jam eſt explicatum.

13. Dices 2. Quando dicitur: *Copula Formaliter ſumpta eſt nexus*; Copula For-

Formaliter ſumpta eſt ſubjectum: Ergo Copula Formaliter ſumpta eſt Terminus.

R. D. A. Copula Formaliter ſumpta eſt Subjectum; hoc eſt, iſta verba: *Copula Formaliter ſumpta*, ſunt Subjectum, C. A. hoc eſt, illud, quod ſignificatur per illa verba, nempe Copula, *Eſt*, à parte rei in Propoſitione poſita, & exercens, officium Copulæ eſt Subjectum, N. A. & C.

14. Obj. 2. & urgetur argumentum. In hac Propoſitione: *Petrus eſt homo, eſt vera Propoſitio*, Copula primo loco poſita ſive, *Eſt*, eſt Subjectum: Sed Copula primo loco poſita ſumitur Formaliter: Ergo Copula Formaliter ſumpta eſt Subjectum.

R. D. Maj. Copula primo loco poſita eſt Subjectum, reſpectu Propoſitionis Compoſitæ, ſive Complexæ, ſcilicet hujus: *Petrus eſt homo, eſt vera Propoſitio*. C. Maj. reſpectu Propoſitionis Simplicis, ſcilicet ſolùm hujus: *Petrus eſt homo*. N. Maj. & D. Min. Sed Copula primo loco poſita ſumitur Formaliter, reſpectu Propoſitionis Simplicis, C. Min. reſpectu Propoſitionis Complexæ, N. Min. & C. Propoſitio illa ſimplex: *Petrus eſt homo*, reſpectu Propoſitionis Complexæ ſumitur tota Materialiter, & conſequenter etiam ſub iſto reſpectu illius Copula ſumitur tantùm Materialiter, & conſideratur tantùm tanquam pars Subjecti. Ex quo non ſequitur, Copulam quà talem, & ût nectentem Extrema, eſſe Terminum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

15. Dices, Ex hoc ſequeretur, quòd in una Propoſitione Complexa Copula eſſet Terminus, & non eſſet Terminus: Sed hoc non poteſt dici: Ergo neque id, unde ſequitur.

R. D. Maj. Sequeretur, quòd in una Propoſitione complexa Copula eſſet Terminus, & non eſſet Terminus ſub eadem conſideratione, N. Maj. ſub diverſa conſideratione, Tranſeat Maj. Copula eſt Terminus conſiderata Materialiter, & in ordine ad Propoſitionem Complexam; & non eſt Terminus conſiderata Formaliter, & in ordine ad Propoſitionem Simplicem; ſicut eadem domus ſub diverſa conſideratione poteſt eſſe totum, & ſimul non eſſe totum; totum ſcilicet reſpectu ſui ipſius, & non totum, ſive pars, reſpectu Urbis. Dixi autem: *Tranſeat Maj.* quia Copula, *Eſt*, in iſta Propoſitione Complexa eſt ſolùm pars Subjecti, & conſequenter tantùm inadæquatè Terminus ſtrictè loquendo.

16. Obj. 3. Noſtra Definitio convenit etiam integræ Propoſitioni: Sed integra Propoſitio non poteſt eſſe Terminus; Ergo noſtra Definitio non convenit ſoli. Maj. patet ex dictis; quia in iſta Propoſitione Complexa: *Petrus eſt homo, eſt vera Propoſitio*, integra Propoſitio: *Petrus eſt homo*, juxta dicta eſſet Terminus. Min. P. Terminus eſt id, quod conſtituit Propoſitionem tanquam Subjectum, & Prædicatum: Sed integra Propoſitio non poteſt

eſſe

eſſe id, quod conſtituit Propoſitionem: Ergò non poteſt eſſe Terminus. P. Min. Id, quod conſtituit Propoſitionem, eſt tantùm pars: Sed integra Propoſitio non poteſt eſſe pars propoſitionis; aliàs totum non eſſet majus ſua parte, & pars eſſet æqualis toti: Ergò integra Propoſitio non poteſt eſſe Terminus.

R. C. Maj. N. Min. ad P. C. Mai. D. Min. integra Propoſitio, quà Propoſitio, & conſiderata ad ſe ſolam, non poteſt eſſe id, quod conſtituit Propoſitionem. C. Min. integra Propoſitio conſiderata in ordine ad aliam Propoſitionem, & reſpectu Propoſitionis Complexæ, non poteſt eſſe id, quod conſtituit iſtam propoſitionem Complexam. N. Min. & Conſequentiam. Ad P. Ultimæ Min. C. Maj. D. Min. Integra Propoſitio non poteſt eſſe pars, quà Propoſitio, & reſpectu ſui ipſius, ſub qua ratione eſt aliquod totum, C. Min. non poteſt eſſe pars reſpectu alterius Propoſitionis Complexæ, N. Min. & Conſequentiam.

17. Itaque in hac Propoſitione: *Petrus eſt homo, eſt vera Propoſitio*, prima Propoſitio conſiderata quoad ſe non poteſt eſſe Terminus; quia non eſt Subjectum, aut Prædicatum; quando autem conſideratur, prout de ipſa in iſta Propoſitione Complexa aliquid affirmatur, ipſa tota fit Subjectum, & propterea Terminus Propoſitionis illius Complexæ. Ex hoc autem tam parùm ſequitur, totum eſſe

majus ſua parte, quàm parùm hoc ſequitur ex eo, ſi Conſtructio grammaticalis, quæ in ſe jam eſt aliquod totum conſtans caſibus, fit Nominativus, adeóque pars alterius Propoſitionis; & aliqua Domus, quæ in ſe jam eſt aliquod totum fit pars Urbis. Quòd autem antiqui Propoſitionem explicitè non vocârint Terminum, non obeſt; nam vocârunt ſaltem implicitè, quatenùs omne Subjectum, vel Prædicatum dixerunt eſſe Terminum.

18. Dices. 1. Terminus non eſt ſimul Subjectum, & Prædicatum: ſed integra Propoſitio eſt ſimul Subjectum, & Prædicatum: Ergo.

R. C. Maj. ad Min. Eſt Subjectum, & Prædicatum conſiderata quoad ſe. C. Min. Eſt Subjectum, & Prædicatum conſiderata in ordine ad Propoſitionem Complexam, N. Min. & C. Reſpectu Propoſitionis Complexæ eſt tantùm Subjectum; quia eſt tantùm id, de quo aliquid prædicatur.

19. Dices 2. Si integra Propoſitio poteſt eſſe Terminus, tunc etiam in iſto exemplo: *Petrum eſſe Logicum*, *eſſe certum*. Sed hoc non poteſt dici: Ergo. P. Min. Terminus, ſeu Subjectum, debet poni in Recto: atqui hæc Propoſitio: *Petrum eſt Logicum*, non ponitur in Recto: Ergo.

R. C. Maj. N. Min. ad P. D. Maj. Terminus, ſeu Subjectum debet poni in Recto ſemper grammaticaliter, N. Maj. Logicè, vel

vel ſaltem loco Recti. C. Maj. & D. Min. hæc Propoſitio: *Petrum eſſe Logicum*, non ponitur in Recto grammaticaliter, C. Min. non ponitur in Recto logicè, vel ſaltem loco Recti, N. Min. & C. Quin imò ipſi Gramatici quandoque integram Propoſitionem ponunt loco Nominativi, adeoque in Recto. Porrò id omne ponitur in Recto logicè, de quo aliquid affirmatur: affirmatur autem aliquid de Propoſitione in Objectione allata.

20. Obj. 4. Caſus Obliqui, Adverbia &c. etiam ſi ſumuntur Materialiter, item voces Non ſignificativæ, non ſunt Termini: Sed his convenit noſtra Definitio: Ergo noſtra Definitio non convenit ſoli Termino. P. Maj. Caſus Obliqui &c. non ſupponunt, ſive non ſignificant rem à ſe diſtinctam: ſed hoc requiritur ad eſſe Terminum: Ergo non ſunt verè Termini.

R. N. Maj. ad P. C. Maj. N. Min. Gratìs enim hoc requiritur. Nam, ùt optimè obſervat P. Oviedo hìc n. 4. Terminus non conſtituitur formaliter talis per hoc, quod eſt ſignificare, ſed per hoc, quod eſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum Propoſitionis; tale autem eſſe poſſunt Caſus Obliqui &c. Materialiter ſumpti. Si quis plus requirat ad rationem Termini, facit quæſtionem de nomine, in qua ſentimus cum communiori.

21. Dices. Terminus debet eſſe aptus locutioni humanæ: Sed voces Non

Digitized by Google

ſignificativæ non ſunt aptæ locutioni humanæ: Ergo non poſſunt eſſe Termini. P. Min. Locutio externa eſt manifeſtatio rei conceptæ: Sed voces non ſignificativæ non ſunt manifeſtatio rei conceptæ; cùm nullam rem ſignificent: Ergo.

R. C. Maj. N. Min. ad P. C. Maj. D. Min. voces Non ſignificativæ non ſunt manifeſtatio rei, id eſt, nil manifeſtant, vel ſignificant à ſe diſtinctum, C. Min. à ſe indiſtinctum, ſive non manifeſtant ſe ipſas, N. Min. & ſub eadem diſtinctione C. vel N. Conſequentiam; ac Nego Suppoſitum, quòd ad hoc, ut poſſim loqui, requiratur univerſaliter, ut Terminus ſignificet aliquid à ſe diſtinctum, quia de ipſo Termino poſſum aliquid affirmare, v. g. eſſe vocem, ac tam bene de illo loqui, quàm de rebus aliis ab ipſo diſtinctis.

22. Obj. 5. Noſtra Definitio non convenit Termino extra Propoſitionem: Ergo non convenit omni Termino. P. A. Terminus extra Propoſitionem non eſt Id, quod conſtituit Propoſitionem: Ergo ei non convenit Definitio.

R. N. A. ad P. D. A. Non eſt Id, quod conſtituit Propoſitionem actu, C. A. Non eſt Id, quod conſtituit Propoſitionem potentiâ, N. A. & C.

23. Dices 1. Copula, niſi actu copulet, non eſt Copula: Ergo etiam Terminus non eſt Terminus, niſi actu terminet, ſeu conſtituat Propoſitionem tanquam Subjectum, vel Prædicatum. Confirmatur.

tur. Terminus dicitur à Terminando: Ergo quod actu non terminat Propoſitionem, non eſt Terminus.

R. C. A. N. C. & paritatem. Diſparitas eſt, quia Copula, cùm ſit nexus, & unio Extremorum, imitatur naturam Entium Modalium, & Reſpectivorum, quæ ſine Extremis ſuis dari non poſſunt. Sic ſimpliciter impoſſibile eſt, unionem hominis eſſe unionem, ſi non actu uniat corpus, & animam; eò quòd utrumque eſſentialiter reſpiciat, & utriusque nexus ſit. Igitur cùm ſimile officium reſpectu Extremorum, ſcilicet reſpectu Subjecti, & Prædicati, Copula obeat, facilè capi poteſt, quòd extra Propoſitionem, ubi utique nihil copulat, Copula eſſe nequeat. E contrà verò Terminus imitatur naturam Entium Abſolutorum, habétque ſe ferè extra Propoſitionem, ſicut anima v. g. hominis deſtructa unione; anima autem etiam ſeparata à corpore, ubi corpus actu non animat, tamen anima dicitur. Dein juxta ſenſum communem Doctorum, eſſe nexum, ſeu Copulam, importat ſolum actum; eſſe autem Terminum, importat vel actum, vel ſaltem potentiam. Ad Conf. D. A. Terminus dicitur à Terminando, actu vel potentiâ, C. A. ſemper, & neceſſariò à Terminando actu, N. A. & C.

24. Dices 2. Ex hoc ſaltem ſequeretur, quòd Terminus extra Propoſitionem non eſſet actu Terminus, ſed ſolùm po-

potentiâ: atqui hoc non ſufficit: Ergo.

R. N. Maj. Nam licèt juxta S. Thomam Lapis dicatur lapis à lædendo pedem, manet tamen actu lapis, etſi actu non lædat pedem; item homo dicitur, etiam quando dormit, actu eſſe rationalis, licèt actu non ratiocinetur: Ergo à pari etiam Terminus debet dici actu eſſe Terminus, licèt actu non terminet, ſive conſtituat Propoſitionem. Ratio eſt; quia actu eſſe Terminum plus non dicit, quàm habere actualem eſſentiam, ſeu entitatem, quæ ſit proximè potens ad conſtituendam Propoſitionem; actu verò conſtituere, dicit iſtam potentiam in actu ſecundo eſſe exercitam.

25. Dices 3. Ex hoc ſequeretur, quòd arbor in ſylva eſſet pars ſtatuæ; quia licèt actu non conſtituat ſtatuam, tamen habet potentiam conſtituendi ſtatuam: Atqui ſequela non videtur eſſe admittenda: Ergo neque id, unde ſequitur.

R. N. Sequelam Majoris; quia arbor in ſylva non eſt proximè potens ad conſtituendam ſtatuam, ſed ſolùm remotè. Si verò arbor jam eſt formata E. g. in manum, vel pedem, jam dicitur eſſe pars conſtitutiva ſtatuæ, licèt nondum actu conſtituat, ſed ſolùm ſit proximè potens ad conſtituendam ſtatuam, ac tum procedit paritas.

26. Obj. 6. Et pergitur in argumento. Termini extra Propoſitionem neque poſ-

poſſunt conſtituere Propoſitionem, & fieri Subjectum, vel Prædicatum: Ergo nulla eſt reſponſio. P. A. Nec Terminus Mentalis, nec Vocalis poſſunt diſponi in Propoſitionem: Ergo neuter poteſt conſtituere Propoſitionem, & fieri Subjectum, vel Prædicatum. P. A. Terminus tam Mentalis, quàm Vocalis ſtatim pereunt, poſtquàm fuerunt prolati: Ergo non poſſunt diſponi in Propoſitionem, & fieri Subjectum, vel Prædicatum.

R. N. A. ad P. D. A. Terminus Mentalis, & Vocalis non poſſunt diſponi in Propoſitionem, ita ut maneant iidem Termini realiter, & phyſicè, C. A. non poſſunt diſponi ita, ut maneant iidem Termini æquivalenter, & virtualiter, N. A. & C. In ſenſu morali, ſeu in æſtimatione Doctorum, iidem ſunt Termini Mentales, & Vocales in Propoſitione, & extra Propoſitionem, licèt non ſint iidem phyſicè.

27. Obj. 7. Noſtra Definitio nec convenit Termino Objectivo, nec convenit Termino Formali: Ergo adhuc non convenit omni Termino. P. A. Nec Terminus Objectivus, nec Formalis poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum in Propoſitione: Ergo eis non convenit noſtra Definitio. P. A. inprimis quoad Terminum Objectivum. Terminus Objectivus nihil aliud eſt, quàm ipſa res, ſive Objectum, quod repræſentatur per Terminum Formalem: Ergo non poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum in Propoſitione; aliàs ſi aliquid affir-

affirmaretur v. g. de lapide, ipſe lapis à parte rei exiſtens deberet poni in Propoſitione tanquam Subjectum, quod non poteſt fieri. P. idem A. etiam quoad Terminum Formalem. Terminus Formalis nihil eſt aliud, quàm vox illa, qua res repræſentatur: Atqui vox illa non eſt id, quod prædicatur, aut de quo aliquid prædicatur: Ergo non poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum. P. Min. in hac Propoſitione: *Homo eſt animal rationale*, de voce, *Homo*, nihil affirmatur; quia non de voce, *Homo*, dicitur, quòd ſit, *animal rationale*, ſed de objecto, quod à parte rei exiſtit, & per hanc vocem repræſentatur: Ergo vox non eſt id, quod prædicatur, aut de quo aliquid prædicatur.

R. N. primum membrum Antecedentis; quòd ſcilicet noſtra Definitio non conveniat Termino Objectivo. Ad P. C. A. D. C. Ergo non poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum Formale, C. Conſequentiam. Non poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum Objectivum, quod nihil eſt aliud, quàm ipſa res, quæ prædicatur, aut de qua aliquid prædicatur, N. C. Poſſet etiam transmitti primum membrum Antecedentis; quia, ùt multi obſervant, Terminus iſte hìc non definitur, hoc ipſo, quòd nihil aliud ſit, quàm ipſa res, ùt dictum eſt in Objectione. Jam loquendo de ſecundo membro, quòd nempe noſtra Definitio non conveniat Termino Formali, R. iterum Negando Ad ejus P. C. Maj.
D.

D. Min. Vox, aut conceptus non eſt id, quod prædicatur, aut de quo aliquid prædicatur, non eſt id, inquam, realiter, C. Min. non eſt id repræſentativè, & logicè, ſeu in conſideratione logica, N. Min. & D. C. Ergo non poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum realiter, ſeu Objectivum, C. C. non poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum Repræſentativum, & Formale, N. C. Verum eſt, quòd reipſa tantùm affirmentur, vel negentur de ſe invicem Subjectum, & Prædicatum Objectivum, ſcilicet ipſæ res; adeóque ad veritatem Propoſitionis ſolummodò neceſſarium ſit, ut hæ res ſolæ vel identificentur, vel diſtinguantur; in illarum tamen locum ſubſtituimus voces tanquam earum ſigna, cùm ipſas res in Propoſitione ponere non poſſimus; cúmque hac ratione ſaltem repræſentent Prædicatum, & Subjectum Objectivum, ſeu ipſas res, in communi loquendi modo ipſis tribuimus id, quod re vera objectis, ſeu ipſis rebus convenit.

28. Dices. Subjectum, & Prædicatum ſunt realiter idem: Sed in hac Propoſitione: *Homo eſt animal rationale*, Termini Formales, nempe hæ voces: *Homo*, & *Animal rationale*, non ſunt idem: Ergo non ſunt Subjectum, & Prædicatum.

R. D. Maj. Subjectum, & Prædicatum, Objectivum ſunt realiter idem C. Maj. etiam Formale, N. Maj. & Conceſſa Minore D. C. Ergo Termini Formales, nempe hæ voces: *Homo*, & *Animal rationale* non

non ſunt Subjectum, & Prædicatum Objectivum, C. C. Formale, N. C.

29. Obj. 8. Terminus non bene definitur in ordine ad Propoſitionem: Ergo necdum Definitio eſt bona. P. A. Si definitur in ordine ad Propoſitionem, tunc ubi non datur Propoſitio, non datur Terminus: Sed hoc eſt falſum: Ergo non bene definitur in ordine ad Propoſitionem. P. Min. Datur Terminus etiam extra Propoſitionem: Ergo falſum eſt, quòd ubi non datur Propoſitio, non detur Terminus.

R. N. A. ad P. D. Maj. Si Terminus definitur in ordine ad Propoſitionem tantùm actu exiſtentem, tunc ubi non datur Propoſitio, etiam non datur Terminus, C. Maj. ſi definitur in ordine ad Propoſitionem vel præſentem, vel futuram, vel præteritam, vel etiam ſolùm poſſibilem, tunc ubi non datur Propoſitio, etiam non datur Terminus, N. Maj. & conceſſa Min. D. C. Ergo non bene definitur in ordine ad Propoſitionem ſolùm actu exiſtentem, C. C. ad Propoſitionem vel præſentem vel futuram, &c. N. C. Terminus definitur in ordine ad Propoſitionem, ſicut pars in ordine ad totum; ſicut ergo etiam deſtructo toto tamen datur pars, ſic etiam deſtructa Propoſitione tamen datur Terminus.

30. Obj. 9. Saltem ſi noſtra Definitio ſit per Propoſitionem, id eſt, ſi in Definitione Termini ponatur etiam iſta vox: Propoſi-

poſitio, tunc ea Definitio non eſt clarior ſuo Definito: Sed ſic non eſt bona; quælibet enim bona Definitio debet eſſe clarior ſuo Definito, ùt jam ſuperiùs notavimus: Ergo ſi noſtra Definitio fit per Propoſitionem, tunc non eſt bona. P. Maj. Non eſt clarius, quid ſit Propoſitio, quàm quid ſit Terminus: Ergo illa Definitio non eſt clarior ſuo Definito.

R. N. Maj. ad P. D. Maj. Non eſt clarius in ſe, quid ſit Propoſitio, quàm quid ſit Terminus, Tranſeat Maj. non eſt clarius quoad nos, N. Maj. Cùm definimus Terminum per Propoſitionem, ſupponimùs, quòd nobis Propoſitio jam aliunde ſaltem confusè ſit nota.

31. Obj. 10. Noſtra Definitio fit per Genus ſummum: Ergo adhuc non eſt bona. P. A. Fit per Particulam, *Id:* Ergo fit per Genus ſummum; quia, *Id*, latiſſimè patet.

R. 1. N. A. & ejus Suppoſitum, quòd Genus in noſtra Definitione Termini ſit ſola Particula, *Id*, ſed eſt: *Id*, *quod conſtituit Propoſitionem;* per hoc enim convenit Terminus etiam cum Copula. Atque ſic ponitur Genus infimum, & proximum; quia tale, per quod Terminus cum pauciſſimis convenit. Si tamen aliquis locò Generis ſolam particulam, *Id*, accipere velit, & ſic adhibere Genus latiſſimum, tunc

R. 2. D. A. Noſtra Definitio fit per Genus ſummum, & in hoc proponendi modo poteſt haberi propinquius, aut æquè

clarum, N. A: & non poteſt haberi propinquius, aut æquè clarum, C. A. & N. C. Cæterùm aliæ Termini Definitiones, quæ circumferuntur, vel ipſæ habent ſuos defectus, vel non ita claræ ſunt, ut ob eas Ariſtoteles, quem nos per noſtram Definitionem ſequimur, in ipſo ſtatim Philoſophiæ veſtibulo deſeri debeat.

32. Obj. ultimò. Definitio Termini Ariſtotelica, prout jacet, non eſt bona: Ergo &c. P. A. Ariſtoteles Terminum vocat, in quem reſolvitur Propoſitio: Ergo illa Definitio, prout jacet, non eſt bona. P. C. Prius eſt componere, quàm reſolvi. v. g. prius eſt componere, vel ædificare domum, quàm ut ea reſolvatur, ſeu deſtruatur: Ergo malè utitur Ariſtoteles Termino, reſolvi, antequàm adhibuiſſet Terminum, componere; cùm illa debeant priùs exponi, quæ priora ſunt. Conſequenter Definitio illa, prout jacet, non eſt bona.

R. N. A. ad P. C. A. N. Conſequentiam. Ad P. D. A. Prius eſt componere, quàm reſolvi in ſenſu phyſico, C. in ſenſu logico, & prout accipit hìc Ariſtoteles. N. In ſenſu phyſico dicitur aliquid reſolvi, quando deſtruitur aliquod totum phyſicum, ùt quando deſtruitur domus; & in hoc ſenſu utique aliquid debet componi, & extrui, antequàm deſtruatur. In ſenſu logico autem Ariſtoteles per reſolutionem non intelligit quidquam aliud, quàm aſſignationem, ſeu compoſitionem partium

ab

ab intellectu factam, ùt jam ſupra explicatum eſt; conſequenter bene adhibet Terminum, reſolvi; quia per illud idem intelligit, ac ſi diceret, quòd Terminus ſit id, quod conſtituit Propoſitionem tanquam Subjectum, & Prædicatum. Clarior tamen eſt Definitio, ſi explicitè ponatur Terminus, *Conſtituit*; unde eo ſumus uſi.

33. Dices: Saltem Definitio Ariſtotelica Termini non habet Genus: Ergo non eſt bona. P. A. Nihil poteſt in ea oſtendi, per quod Terminus conveniat cum pluribus: Ergo ea non habet Genus.

R. N. A. ad P. D. Nihil poteſt in ea oſtendi, per quod Terminus conveniat cum pluribus, ſi ea non exponatur, Tranſeat; ſi exponatur. N. Si enim ea exponatur, tunc prodit hæc Definitio: Terminus eſt Id, in quod reſolvitur Propoſitio, ſeu quod conſtituit Propoſitionem &c. Jam verò in his Genus eſt abundè ſuperiùs oſtenſum, nimirum *Id*, vel: *Id, quod conſtituit Propoſitionem.* Dixi: *Tranſeat*; quia etiamſi non exponatur, ſed relinquatur, prout jacet, tamen Genus eſt: *In quem reſolvitur Propoſitio*, ſeu: quod conſtituit Propoſitionem; per hæc enim convenit Terminus etiam cum Copula. Nec obeſt, quòd relativum, *quem*, ponatur determinatè in genere maſculino; nam iſtud fit, quia in iſta expreſſione Definitionis relativum concordat cum illo ſubſtantivo, quod ſolum adeſt; ex quo non ſequitur, quòd ſub eo non poſſint intelligi etiam

Digitized by Google

aliâ ſubſtantiva, ùt patet ex Grammatica.

ARTICULUS II.

Diviſiones Terminorum.

Capita Diviſionis Terminorum.

POſtquàm explicatum eſt, quid ſit Terminus, & ſtabilita ejus Definitio; videndum modò eſt, quotuplex idem ſit, & ad ejus Diviſiones progrediendum. Ut autem aptus ordo, & facilis ſeries in hac re multiplici ſervetur, advertendum, ùt habet Goudinus in Minore Logica, Parte 1. Q. 1. Artic. 2. in Termino poſſe quatuor ſpectari, nimirum Rem ſignificantem, Rem ſignificatam, Modum ſignificandi, & Relationem unius Termini ad alios; quæ etiam capita in referendis Terminorum Diviſionibus ſequemur.

PARAGRAPHUS I.

Quid ſit Terminus Objectivus, Formalis, Mentalis, Vocalis, ac Scriptus.

Diviſiones Terminorum ex Re ſignificante.

34. PRima igitur Terminorum Diviſio ex Re ſignificante deſumitur. Hinc autem oriuntur Termini alius Objectivus, alius Formalis, alius Mentalis, alius Vocalis, alius Scriptus, ut proin, quæ ſuperiùs

periùs A. 1. §. 1. de Propoſitione dicta ſunt, quæ cùm ſit Oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo, eſt ad ſignificandum inſtituta, hic redeant etiam in ejus Extremis, qui ſunt Termini. Terminus Objectivus eſt ipſum Objectum, ſeu res ipſa, de qua aliquid affirmatur, aut negatur. Terminus autem Formalis eſt ſignum illud, quod repræſentat Terminum Objectivum. Jam verò cùm ſignum hoc triplici ratione conſtitui poſſit: vel mente nimirum, vel voce, vel ſcripto; inde quoque triplex Terminus Formalis conficitur; ſcilicet Mentalis, Vocalis, & Scriptus. Mentalis eſt, qui mente duntaxat ponitur; Vocalis, qui exprimitur voce; ac denique Scriptus dicitur, qui ſcripturà adnotatur. Exemplum deſumi poteſt ex Subjecto hujus Propoſitionis: *Petrus eſt homo;* in qua ipſe Petrus, ſeu homo ille à parte rei, eſt Terminus Objectivus; Cognitio, qua mihi Petrum propono, eſt Terminus Formalis Mentalis; Vox hæc: *Petrus;* eſt Terminus Formalis Vocalis; ac denique, ſi eadem Vox ſcribatur, erit Terminus Formalis Scriptus. Hinc facilè colliges, quid ſit Prædicatum Objectivum, & Prædicatum Formale; videlicet Prædicatum Objectivum eſt res illa, quæ de alia affirmatur, aut negatur: & Prædicatum Formale eſt Terminus ille Formalis, qui de altero dicitur. Par cum proportione eſt ratio de Subjecto, & Copula.

Terminus Objectivus;
Formalis, qui triplex eſt;
Mentalis;
Vocalis;
Et Scriptus.

Digitized by Google

Terminus Mentalis eſt duplex; Non ultimatus; Et Ultimatus.

35. Jam verò Terminus Mentalis à Toleto L. 1. c. 10. rurſus bifariam dividitur; nimirum in Ultimatum, ac Non ultimatum. Terminus Formalis Non ultimatus, juxta eum Authorem, eſt cognitio, ſeu notitia, qua voces, ſeu ſcripturas ſignificativas cognoſcimus. Ultimatus verò eſt cognitio, qua res ipſas per voces, aut ſcripturam ſignificatas cognoſcimus; ùt cùm quis vocalem hanc Propoſitionem audit: *Homò eſt animal*; vel eam ſcriptam legit; priùs vocum, aut ſcripturæ cognitionem habet, & hæc cognitio eſt Conceptus, ſive Terminus Non ultimatus; poſteriùs autem res ipſas ſignificatas cognoſcit, & hæc cognitio rerum dicitur Conceptus, ac Terminus Mentalis Ultimatus. Ultimatus rurſum eſt duplex, Directus nimirum, & Reflexus. Directus eſt ille, per quem cognoſcimus res per voces, aut ſcripturam ſignificatas, ùt dictum eſt; Reflexus eſt altera cognitio, per quam priores Conceptus noſtros cognoſcimus, atque non ſolùm res ipſas contemplamur, ſed etiam ipſas priores Contemplationes, & Cognitiones. Porrò Termini Mentales tum Directi, tum maximè Reflexi, ii ſunt, circa quos Dialectica proximè verſatur; voces verò paſſim Dialectica non niſi horum ratione attendit.

Ultimatus alius eſt Directus; Alius Reflexus.

Dices. Nullus datur Terminus Mentalis: Ergo malè eum aſſignamus. P. A. Propoſitio Mentalis eſt ſimplex Qualitas, ſeu eſt unus indiviſibils Actus: Ergo

Ergo non poteſt dividi in Terminos.

R. N. A. ad P. D. A. Propoſitio Mentalis eſt ſimplex Qualitas, ſeu eſt unus indiviſibilis Actus Formaliter, & in ſe, C. Repræſentativè, & æquivalenter, N. Licèt Propoſitio mentalis formaliter non ſit compoſita; hoc ipſo, quòd ſit unus indiviſibilis Actus; quia tamen repræſentat rem nunc tanquam Subjectum, nunc tanquam Prædicatum; hinc dicitur repræſentativè, & æquivalenter continere Subjectum, & Prædicatum, ac proin Terminos.

PARAGRAPHUS II.

De Termino Significativo, & Non Significativo.

36. Terminus porrò Formalis, tum Vocalis, tum Scriptus ſubdividitur in Significativum, & non Significativum. Terminus Significativus eſt ille, ùt ait Arriaga in Summul. Diſp. 1. Sect. 2. n. 11. qui aliquid ad placitum ſignificat; vel eſt Terminus, qui ex inſtitutione hominum aliquid ſignificat, ſeu poſitivum, ſeu negativum, ùt *Homo; Ferrum; Nihil.* Terminus verò non ſignificativus, ex mente etiam ejusdem Auth. loc. cit. eſt ille, qui nihil ſignificat ad placitum; ſeu qui nullam ex inſtitutione hominum vim ſignificandi habet, ùt: *Blictri.* Atque hæc

Terminus Significativus.

Non Significativus.

Diviſio Termini in Significativum, & Non Significativum ab omnibus admittitur. Solent tamen contra eam, ac maximè contra Terminum Non Significativum, aliqua objici, quæ ut faciliùs ſolvantur,

37. Not. 1. Signum eſſe, ùt ait Oviedo Controv. 1. Punct. 2. n. 5. quod ordinatur ad aliquid repræſentandum Potentiæ cognoſcitivæ. Illud eſt duplex juxta Ariag. loc. mox cit. nimirum Naturale unum, & alterum ad placitum. Signum Naturale eſt, quod independenter ab inſtitutione, & voluntate hominum ducit in cognitionem alicujus rei; ſic fumus ducit in cognitionem ignis; veſtigium leporis indicat leporem. Signum ad placitum eſt illud, quod ex ſe eſt indifferens ad Significandum aliquid; ex voluntate tamen hominum aſſumptum eſt ad aliquam rem determinatam ſignificandam, ùt Vox hæc: *DEUS*; quæ Vox ex voluntate hominum, Ens Supremum, & Conditorem omnium rerum ſignificat; aut Vox: *Homo*; quæ etiam Vox aſſumpta eſt ad indicandum Animal rationale.

Quid ſit Signum Naturale;

Aut ad placitum.

Cujus rei Signum ſint voces non ſignificativa;

38. Not. 2. Omnes voces, ſive ſint ſignificativæ, ſive non ſignificativæ, ſemper tamen eſſe ſigna, ſaltem materialia ſui ipſius, & naturalia loquentis; ſic cùm audio vocem: *Leo*, ſive circa eam adſit aliqua inſtitutio hominum, ſive nulla; ipſa tamen me ducit in cognitionem tum ſui, ſaltem materialiter; tum loquentis naturaliter. Idem dici debet de voce: *Bliſtri*, *Scindapſus*.

Et ſignificativa.

Digitized by Google

ſis, & aliis hujusmodi. Itaque voces ſignificativæ triplicem afferunt cognitionem; prima eſt de voce, altera de loquente, tertia de re ſignificativa; Voces autem Non Significativæ duplicem duntaxat; ſui nimirum, ac loquentis.

39. Not. 3. Quando dividimus Terminum in Significativum, & Non Significativum; nos non loqui de Significatione ſui ipſius, & Perſonæ loquentis; nam juxta dicta, hæc omni voci, & Termino connaturalis eſt; Sed loqui nos de altera ſignificatione arbitraria, quam habent voces ex inſtitutione hominum.

Solvuntur Objectiones.

40. OBj. 1. Nullus datur Terminus Non Significativus: Ergo mala eſt Diviſio Termini in Significativum, & Non Significativum. P. A. Si daretur aliquis Terminus Non Significativus, tunc eſſet v. g. vox, *Bliĉtri*: Sed vox, *Bliĉtri*, non eſt Terminus Non ſignificativus: Ergo nullus datur Terminus Non Significativus. P. Min. Vox, *Bliĉtri*, ducit audientem in cognitionem loquentis: Ergo non eſt Terminus Non Significativus, ſed eſt Terminus Significativus.

R. N. A. ad P. C. Maj. N. Min. Ad P. D. A. Vox, *Bliĉtri*, ducit audientem in cognitionem loquentis, ex inſtitutione hominum, N. A. Ducit naturaliter, ſicut omnes aliæ voces ab homine emiſſæ, C. A. &

N. C. Sicut enim dum video fumum, venio in cognitionem ignis; Sic dum audio voces humanas, venio in cognitionem hominis loquentis. Iſtud autem nondum ſufficit ad hoc, ut vox aliqua ſit Terminus Significativus; ſed requiritur inſuper, ut aliquid ſignificet ex inſtitutione hominum, ùt dictum eſt. Par eſt reſponſio, ſi dicatur, quòd vox, *Blictri*, ſignificet ſe ipſam; item cognitionem, & voluntatem, quam loquens habet aliquid proferendi. Quæ autem hìc dicuntur de voce, *Blictri*, intelligi etiam cum proportione debent de voce, *Scindapſus*, aut aliis id Genus, quæ afferuntur pro exemplo Termini Non ſignificativi.

41. Dices 1. Terminus, *Blictri*, etiam ex inſtitutione hominum aliquid ſignificat: Ergo nulla reſponſio. P. A. *Blictri*, ex inſtitutione Philoſophorum ſignificat Terminum Non ſignificativum: Ergo ex inſtitutione hominum aliquid ſignificat.

R. N. A. Ad P. rurſum N. A. Philoſophi non inſtituerunt vocem, *Blictri*, ad ſignificandum Terminum Non Significativum; ſed potiùs, quia ea ad id non eſt inſtituta; ideò ipsâ utuntur tanquam exemplô Termini Non Significativi, non autem tanquam ejusdem ſigno. Sic etiam Oratores Sacri utuntur Davide pro exemplo Pœnitentiæ, Poëtæ utuntur Hercule pro exemplo Fortitudinis; nec tamen voces, *David*, Pœnitentiam, aut *Hercules*, Fortitudinem ſignificant.

42. Dices 2. Si omnino eſt conſuetudo, ut, *Blictri*, ſignificet Terminum Non Significativum, tunc aliquid ſignificat ex inſtitutione: Sed omnino eſt conſuetudo, ut, *Blictri*, ſignificet Terminum Non Significativum: Ergo aliquid ſignificat ex inſtitutione. Sequela Majoris videtur tenere; quia conſuetudo vim legis obtinet. P. autem Min. Vox, *Blictri*, communiter adhibetur à Dialecticis ad ingerendam notitiam Termini Non ſignificativi: Ergo conſuetudo eſt, ut, *Blictri*, ſignificet Terminum Non Significativum.

R. C. Maj. N. Min. Ad P. D. A. *Blictri*, communiter adhibetur tanquam exemplum, & ex defectu inſtitutionis, C. A. tanquam ſignum, ac ſi ex inſtitutione iſtud ſignificaret, N. A. & C. Exemplum non eſt ſignum, ùt vidimus ſuperiùs.

43. Dices 3. Audita voce, *Blictri*, Ruſticus, aut alius litterariæ rei ignarus, nihil intelligit; intelligit tamen Philoſophus, quòd vox iſta ſit Terminus Non ſignificativus: Ergo cenſendum eſt, quòd vox iſta, ſaltem apud Philoſophos, ſignificet Terminum Non ſignificativum.

R. C. A. N. C. Ex hoc, quòd Philoſophus intelligat, *Blictri*, eſſe Terminum Non ſignificativum, non ſequitur, vocem illam eſſe ſignum Termini Non ſignificativi; quia Philoſophus aliunde ſcit, vocem hanc neutiquam ad aliquid ſignificandum eſſe inſtitutam, ac proin ſolummodò pro exemplo haberi.

Digitized by Google

44. Dices 4. Omne exemplum ſignificat id, cujus eſt exemplum: Sed juxta dicta, *Blictri*, eſt exemplum omnis Termini Non Significativi: Ergo omnem Terminum Non Significativum ſignificat.

R. D. Maj. Omne exemplum ſignificat id, cujus eſt exemplum, vel naturaliter, vel ex inſtitutione, C. Maj. Significat id ſemper ex inſtitutione, N. Maj. & D. Min. Sed, *Blictri*, eſt exemplum omnis Termini Non ſignificativi naturaliter, C. Min. ex inſtitutione, N. Min. & C. Ex hoc, quòd Authores voce, *Blictri*, utantur tanquam exemplo Termini Non ſignificativi, non ſequitur, quòd hæc vox inſtitutionem acquirat ad ſignificandum Terminum Non ſignificativum; ſicut ex eo, quòd homines Cœlo manè rutilante utantur tanquam ſigno pluviarum, non ſequitur, quòd Cœlum manè rutilans ſit ſignum pluviarum ex libera inſtitutione hominum.

45. Obj. 2. Vox hæc, *Blictri*, facit me venire in cognitionem, quòd nihil ſignificet: Ergo hoc ipſo debet dici ſignificativa.

R. D. A. Vox hæc, *Blictri*, facit ex inſtitutione me venire in cognitionem, quòd nihil ſignificet, N. A. ex defectu inſtitutionis, & tantùm naturaliter. C. A. & N. C.

46. Dices 1. Juxta dicta, *Blictri*, ex inſtitutione non ſignificat: Ergo vox hæc inſtituta eſt, ut nihil ſignificet.

R.

R. Hoc Enthymema ludere in vocabulis. Quare ſi Antecedens: *Blictri ex inſtitutione non ſignificat*, habeat hunc ſenſum: *Blictri ex inſtitutione eſt non ſignificans*, tunc Antecedens eſt falſum; nec enim, *Blictri*, ab ullo hominum eſt inſtitutum ad non ſignificandum, cùm hoc habeat naturaliter à ſe. Si verò Antecedens illud habeat hunc ſenſum: *Blictri non eſt ſignificans ex inſtitutione*, tunc verum eſt, & aſſeritur, quod nos dicimus, nempe hanc vocem, *Blictri*, non eſſe ex beneplacito hominum inſtitutam ad habendam ullam ſignificationem, ac proinde in hoc ſenſu N. C.

47. Obj. 3. Si vox, *Blictri*, non eſt inſtituta ad aliquid ſignificandum, tunc nihil ſignificat: Ergo hoc ipſo eſt Terminus Significativus. P. Conſequentia. Ideò Vox, *Nihil*, eſt Terminus Significativus, quia ex inſtitutione hominum nihil ſignificat: Ergo à pari etiam, *Blictri*, ſi ex inſtitutione hominum nihil ſignificat, eſt Terminus Significativus.

R. D. A. Si vox, *Bl* non eſt inſtituta ad aliquid ſignificandum, tunc nihil ſignificat, id eſt: caret omni prorſus ſignificatione, quæ ſit ex inſtitutione hominum, C. A. id eſt: ſignificat negationem, & carentiam omnis rei, N. A. & C. Diſparitas igitur inter vocem *Blictri*, & *Nihil*, eſt; quòd, *Blictri*, nullam ſignificationem habeat; ſeu habeat carentiam ſignificationis; vox autem, *Nihil*, ſignificet aliquid nega-

negativum, ſive habeat ſignificationem carentiæ, aut negationis; ac quando dico: *Nihil*, *nihil ſignificat*, vox, *Nihil*, ſumitur ſubſtantivè.

48. Dices. Ergo etiam vox, *Homo*, eſt Terminus Non ſignificativus. P. Illatum. Vox, *Homo*, apud Græcos æquè parùm ſignificat, ac apud nos vox, *Bliſtri*; Ergo ſi, *Bliſtri*, propterea, quòd nihil ſignificet, eſt Terminus Non Significativus, etiam vox, *Homo*, eſt Terminus Non Significativus.

R. N. Illatum. Ad P. D. C. Ergo etiam vox, *Homo*, non eſt Terminus Significativus, ſi nulli omnino Nationi aliquid ex inſtitutione ſignificet, C. C. Si ſaltem alicui Nationi aliquid ſignificet, N. C. Ad rationem Termini Significativi ſufficit, ſi in una lingua ad aliquid ſignificandum ſit inſtituta, quod verum eſt de voce, *Homo*; at vox, *Bliſtri*, quantùm quidem conſtat, apud nullam Nationem aliquid ſignificat: Ergo rectè dicitur Terminus Non Significativus. Exiſtimat nihilominùs Comptonus, vocem, *Homo*, apud Latinos eſſe Terminum Significativum, apud Græcos Non Significativum. Lis eſt de nomine, loquere prout vis, mihi prior acceptio præplacet.

49. Obj. 4. Voces articulatæ Pſittaci ſunt Termini Significativi: Ergo etiam vox, *Bliſtri*.

R. C. A. N. C. Voces Pſittaci, licèt huic volucri nihil ſignificent, per ſe tamen, &

& ex inſtitutione ſunt ſigna ad ſignificandum apta; quod ad rationem Termini Significativi, ſaltem in actu primo, jam ſufficit.

50. Obj. 5. *Blictri*, habet potentiam, ut ſignificet ex inſtitutione hominum: Ergo adhuc eſt Terminus Significativus. A. Videtur certum; quia *Blictri*, æquè potuiſſet inſtitui, ut ſignificet hominem, ſeu animal rationale, ac Terminus iſte: *Homo.* P. autem C. Dummodò habeat potentiam, ut aliquid ſignificet, jam poteſt iſta vox, *Blictri*, ùt ſignificativa conſtituere Propoſitionem, licèt actu non conſtituat: Ergo

R. C. A. N. C. Ad P. Dico, quòd ad Terminum Significativum, ut actu talis ſit, & dici poſſit, requiratur actualis inſtitutio hominum, & non tantùm potentia ad inſtitutionem; quia vim ſignificandi ex inſtitutione hominum obtinet. Quamvis igitur, *Blictri*, habeat potentiam proximam, ut conſtituat Propoſitionem, non tamen habet potentiam proximam, ut actu ſignificet ex inſtitutione, ſed tantùm remotam, quæ non ſufficit ad eſſe Terminum Significativum.

51. Dices. Quod poteſt terminare, id eſt, eſſe Subjectum, vel Prædicatum, jam eſt actu Terminus: Ergo quod poteſt aliquid ſignificare, jam eſt actu Terminus Significativus.

R. C. A. D. C. Ergo, quod poteſt aliquid proximè ſignificare, jam actu eſt Ter-

Terminus Significativus, C. C. quod poteſt tantum aliquid remotè ſignificare, N. C. Omne potens terminare, ſive eſſe Subjectum, vel Prædicatum, ideò eſt Terminus actu, quia jam actu habet potentiam proximam ad hoc, ut ſit Subjectum, vel Prædicatum, quam non itidem habet vox, *Blictri*, ad ſignificandum.

52. Obj. 6. Si daretur Terminus Non Significativus, tunc voces non ſignificativæ v. g. *Blictri*, poſſent eſſe partes Propoſitionum: Sed hoc non poteſt admitti: Ergo neque dabitur Terminus Non Significativus. P. Min. ex P. Fonſeca, qui L. 1. c. 16. vult voces Non Significativas non eſſe partes Orationis, ſed eſſe alias potiùs voces, quæ ſubintelligi debeant, v. g. Si dicatur: *Blictri eſt diſſyllabum*, ait ſubintelligi, *Vox*, ut ſenſus ſit: *Vox Blictri eſt diſſyllaba.*

R. C. Maj. N. Min. ad P. N. quòd ſit ulla neceſſitas aliarum vocum; nam ùt jam ſuperiùs ex Oviedo notatum eſt, Terminus non conſtituitur talis per hoc, qnod eſt ſignificare formaliter, ſed per hoc, quod eſt eſſe partem, ſeu Extremum propoſitionis: tale autem utique poſſunt eſſe voces non ſignificativæ ex inſtitutione hominum, prout patet, quando dico: *Blictri eſt diſſyllabum.*

53. Dices. Omnis Propoſitio eſt ſignificativa: cùm ſit affirmatio, vel negatio alicujus de aliquo: Ergo etiam omnis Terminus eſt Significativus; cùm Terminus ſit

ſit pars Propoſitionis; parti autem conveniat, quod convenit toti; partes enim ſunt totum.

R. C. A. N. C. ad hoc, ut Propoſitio dicatur, & ſit ſignificativa, ſufficit, ut una aut altera ejus pars, videlicet ſaltem Copula, ſit ſignificativa; cùm eo caſu jam prodeat affirmatio, vel negatio alicujus de aliquo; unde Termini poterunt eſſe Non ſignificativi. Ad rationem additam dico, partibus ſimul ſumptis convenire id, quod convenit toti, non autem ſeorſim ſumptis; nam partes duntaxat ſimul ſumptæ ſunt totum, non autem ſeparatæ. Licèt igitur omnis Propoſitio ex natura ſua aliquid affirmet, vel neget, & conſequenter illi conveniat, eſſe Significativam; nullo tamen modò licebit inferre, quòd etiam quilibet Terminus ſit Significativus; ſicut licèt totus Homo dicatur Materialis, tamen proptereà non ſequitur, quòd etiam Anima, quæ eſt pars hominis, ſit Materialis.

54. Obj. 7. Omnis vox humana ſaltem ſignificat ſeipſam: Ergo omnis vox humana eſt Terminus Significativus.

R. D. A. Omnis vox humana ſignificat ſeipſam Materialiter, C. A. ſignificat ſeipſam ex inſtitutione hominum, aut ex eadem inſtitutione ſignificat aliquid à ſe diſtinctum, quod tamen requireretur ad hoc, ut eſſet Terminus Significativus. N. A. & C.

55. Dices. Terminus iſte, *Vox*, tantùm

D ſigi-

ſignificat ſeipſum, & tamen eſt Terminus Significativus: Ergo.

R. N. A. Terminus iſte, *Vox*, ſignificat ſeipſum, & omnes alias voces; unde dico: *Stella eſt vox*, *Lapis eſt vox*, & ſic de reliquis; atque eam ſignificationem habet ex inſtitutione hominum; unde eſt Terminus Significativus. Talem autem ſignificationem, aut inſtitutionem nec, *Bliſtri*, habet, nec reliquæ voces non ſignificativæ. Dein Terminus iſte, *Vox*, ſignificat ſe ipſum Formaliter, cùm ſignificet Formaliter omnes voces, inter quas etiam ipſe eſt. *Bliſtri*, autem tantùm ſignificat ſe ipſum Materialiter.

56. Obj. 8. Terminus non aptus ad locutionem non eſt propriè Terminus: Sed Terminus Non Significativus non eſt aptus ad locutionem: Ergo. P. Min. Tantùm ille Terminus eſt aptus ad locutionem, qui eſt expreſſio rei cognitæ: Sed Terminus Non Significativus non eſt expreſſio rei cognitæ: Ergo Terminus non Significativus non eſt Terminus aptus ad locutionem. P. Min. Terminus Non Significativus nihil ſignificat: Ergo non eſt expreſſio rei cognitæ.

R. C. Maj. N. Min. ad P. rurſum C. Maj. N. Min. ad hujus P. D. A. Terminus Non Significativus nihil ſignificat ex inſtitutione, C. A. Nihil ſignificat naturaliter. N. A. & C. Quælibet vox ſignificat naturaliter ſe ipſam, ac alia, quæ ſuperiùs notata ſunt; Ergo jam eſt expreſſio rei cognitæ, ac

ac conſequenter eſt apta ad locutionem, licèt nil ex inſtitutione libera hominum ſignificet.

57. Obj. 9. Hedera ante hoſpitium pendens ex inſtitutione hominum ſignificat vinum vendibile: Ergo juxta hactenùs dicta eſſet Terminus Significativus.

R. D. A. Significat vinum vendibile, & eſt Terminus Formalis, de quo hìc loquimur, N. Non eſt Terminus Formalis, ſed eſt Objectum Termini Formalis. C. A. & N. C. Cæterùm ſub hoc reſpectu hedera neque eſt Terminus Objectivus; quia non eſt id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur.

PARAGRAPHUS III.

De Termino Communi, & Singulari, Univerſali, Particulari, Indefinito; item Collectivo, & Diſtributivo.

58. JAm verò de Termino Significativo deinceps nobis erit ſermo; nam Terminus Non Significativus vix eſt uſui, & nullas ſubdiviſiones habet; cùm nec diſtinguatur ex Re ſignificata, nec ex Modo ſignificandi, nec alia ratione, quam nullam habet. Igitur ex Re ſignificata Terminus Significativus alius eſt

Terminus Communis. Communis, alius Singularis. Terminus Communis eſt, qui ita aptus eſt de pluribus prædicari diviſim, ut ratio per Terminum explicitè ſignificata eorum ſingulis conveniat, ac in illis multiplicetur, ùt *Homo*, quod in eadem ſignificatione convenit Petro, Paulo, & reliquis hominibus omnibus, in iiſque omnibus multiplicatur ratio per illum Terminum ſignificata; cùm eorum quivis habeat omne id, quod ſignificat Terminus, *Homo*, ſintque diverſi, & multiplices numerò homines.

59. Porrò ad Terminum Communem non requiritur, ut ratio per eum ſignificata actu inſit pluribus, ſed ſufficit, ſi poſſit ineſſe. Sic quando exiſtebat ſolus Adamus, vox, *Homo*, erat tamen Terminus Communis; quia licèt tunc non conveniret pluribus actu, poterat tamen convenire pluribus, ſi nimirum extitiſſent plures homines. Sic etiam vox, *Sol*, modò eſt Terminus Communis; quia licèt conveniat uni tantùm Soli, cùm non niſi unus exiſtat, conveniret tamen pluribus, ſi plures exiſterent.

DEUS non eſt Terminus Communis. 60. Ex dictis Colligitur 1. Terminum, *DEUS*, non eſſe Terminum Communem; quia licèt conveniat tribus Perſonis Divinis, & tres Perſonæ Divinæ multiplicentur, non tamen multiplicatur Natura Divina; nec poteſt cum veritate dici, tres Perſonas Divinas eſſe tres DEOS; Unde ratio per illum Terminum importata non multiplicatur adæquatè in pluri-

bus.

bus. De Diis verò Gentilium DEUS falsò tantùm, & abuſivè prædicatur. Apud Gentiles tamen DEUS fuit Terminus Communis; DEUM enim, licèt per errorem, de pluribus prædicabant, dicebántque, eum in illis multiplicari.

61. Colligitur 2. Terminos Æquivocos, de quibus agemus infra, ùt, *Canis*, reſpectu Sideris, & Animalis, quà tales, & cùm ſumuntur æquivocè, non eſſe Terminos Communes; quia tunc non poſſunt prædicari de pluribus diviſim ſub eadem ratione, & ita, ut in iis multiplicentur. Si verò accipiuntur qui tales, & non ùt ſunt Termini Æquivoci, tunc poſſunt eſſe Termini Communes; cùm ita accepti poſſint prædicari de pluribus diviſim ſub eadem ratione, & in iis multiplicari. Sic Terminus, *Gallus*, licèt non ſit Communis reſpectu Galli gallinacei, & Hominis nati in Gallia, reſpectu quorum eſt Terminus Æquivocus; eſt tamen Communis reſpectu Petri, Pauli, & aliorum hominum natorum in Gallia, ob rationem adductam. Terminos autem Analogos, ùt eſt, *Sanus*, reſpectu hominis ſani, & cibi ſani, ſive ſalubris, etiam quà Analagos, volunt aliqui, poſſe ſimpliciter eſſe Terminos Communes; quia ſic pluribus conveniunt ſub eadem ratione, & in iis multiplicantur. Quia tamen ratio hæc non eſt in pluribus eadem omnino, ùt infra explicabitur; hinc ſaltem à perfectione Termini Communis deficiunt.

An Termini Æquivoci ſint Termini Communes?

An Analogi?

Digitized by Google

Aut Terminus: Omnis homo.

62. Major controverſia eſt, utrum complexum, *Omnis homo*, ſit Terminus Communis. Affirmat Hurtado Diſp. 1. Sect. 6. §. 28. Ratio, quam affert, eſt; quia ſignificatio vocis ſecundùm ſe conſideratæ convenit omnibus hominibus. Sed fortè rectiùs negat Arriaga Sect. 3. n. 15. quia non poteſt de quovis homine dici, quòd ſit *Omnis homo*; ſicut juxta ipſum Hurtado l. c. *Hic homo*, non eſt Terminus Communis; quia non convenit pluribus. Atque hæc de Termino Communi dicta ſunto.

Terminus Singularis.

63. Terminus Singularis eſt, qui de uno tantùm, & determinatè ſumpto, prædicatur; ſeu qui ſignificat rem non communicabilem pluribus; aut etiam, qui non poteſt prædicari ita de pluribus, ut ratio per eum ſignificata in iis multiplicetur, ùt *Petrus*; *Hic homo*; *Hic exercitus*. Atque hic Terminus vocatur etiam Individuum.

Quotuplex ſit Individuum?

Poteſt autem Individuum eſſe quadruplex: 1. Individuum determinatum ex nomine. v. g. *Petrus*; *Paulus*. 2. Individuum determinatum ex demonſtratione; quando videlicet Termino Communi præponitur Signum demonſtrativum, ùt: *Hic homo*. 3. Individuùm determinatum ex hypotheſi, cùm nimirum Terminus aliquis, qui aliàs eſſet Communis, per quamdam ſuppoſitionem reducitur ad ſignificandam unam rem determinatam, ùt, *Filius B. V.* qui Terminus ſoli Chriſto convenit. 4. Denique Individuum particulare, ſeu

ſeu vagum, ùt, *Aliquis homo.* Sed hic ſpeciatim Terminum Particularem conſtituit, ùt mox dicetur. Itaque

64. Subdividitur Terminus Communis primò in Univerſalem, & Particularem, & Confuſum. Terminus Univerſalis eſt Terminus Communis, cui præfigitur Signum Univerſale, ùt, *Omnis homo.* Atque hic Terminus eſt Univerſalis univerſalitate ſigni. Datur autem etiam alius Terminus Univerſalis Univerſalitate Præciſionis; qui nimirum eſt aptus prædicari de pluribus, abſtrahendo, an illa ſint plura, vel unum. Terminus porro Univerſalis in hoc poſtremo ſenſu eſt quintuplex, proùt operoſiùs exponitur in decurſu Philoſophiæ; nimirum genus, ùt, *Animal*, reſpectu Hominis, & Leonis, cui utrique convenit, & quod utrumque ſub ſe complectitur. Species, ùt itidem, *Homo*, & *Leo*, reſpectu animalis, ſub quo comprehenduntur. Differentia, ùt, *Rationale*, reſpectu Hominis; per hoc enim differt Homo, ac diſtinguitur à Leone, qui non eſt rationalis; ac etiam ad id genus cæteris. Proprium, ùt, *Riſibile*, reſpectu hominis; illi enim ſoli convenit ac omni, & ſemper; unde etiam eſt proprium verè tale, & ùt vocant, quarto modo. Denique Accidens, ùt, *Calor*, reſpectu ignis; nec enim calor vel eſt eſſentia ignis, vel pars eſſentiæ, sed tantùm contingenter ſupervenit eſſentiæ. Notandum autem hic inſuper, Genus eſſe triplex, nimirùm Supremum, ſeu

Terminus Univerſalis.

Quot ſint Univerſalia?

Quotuplex ſit Genus?

ſeu Generaliſſimum, quod nullum aliud Genus ſupra ſe habet, ùt, *Ens*; vel in Linea Subſtantiæ, *Subſtantia*. Subalternum, quod aliud Genus habet ſupra ſe, & aliud infra ſe, ùt, *Vivens*, quod ſupra ſe habet, *Corpus*, infra ſe autem, *Animal*, & Infimum, quod Genus habet ſupra ſe, ſed nullum infra ſe, ùt, *Animal*. Sic etiam Species alia eſt Subalterna, quæ videlicet aliam adhuc ſpeciem habet ſub ſe, ut, *Animal*, ſi accipiatur per modum Speciei, reſpectu Generis hujus, *Vivens*; nam tunc habet ſub ſe hominem, Leonem, aliaſque Species; Infima, quæ nullam ampliùs habet ſpeciem ſub ſe, ùt, *Homo*, *Leo*.

Quotuplex ſit Differentia?

65. Poſtremò Differentia diſtinguitur alia Diviſiva, quæ dividit Genus, ùt, *Materialis*, *Immaterialis*, quæ dividunt iſtud Genus: *Subſtantia*; alia Conſtitutiva, quæ conſtituit Speciem; ùt itidem, *Materialis*, reſpectu hujus Speciei ſubalternæ, *Corpus*; hanc enim conſtituit. Quamquam realiter eadem eſt Differentia Diviſiva, & Conſtitutiva; ſed reſpectu Generis vocatur Diviſiva, hoc ipſo, quòd illud dividat; & reſpectu Speciei vocatur Conſtitutiva; quia illam conſtituit. Atque hæc examinari poſſunt in ſubjecta ad calcem Opuſculi Arbore Porphyrii, ùt vocant, ſeu Linea Prædicamentali Subſtantiæ.

Quid ſit Prædicamentum?

66. Prædicamentum porro, ſeu ùt etiam loquuntur, Categoriam, vocamus Seriem Prædicatorum ad unum quoddam Sum-

Digitized by Google

Summum Genus ſpectantium. Ejusmodi Prædicamenta ab Ariſtotele, & poſt eum à pleriſque paſſim, decem ponuntur; nimirum Subſtantia, Quantitas, Relatio, Actio, Paſſio, Ubicatio, Duratio, Qualitas, Situs, Habitus. Quamquam nonnulli in ſtricto ſenſu, tantùm duo Prædicamenta ponant, Subſtantiam nimirùm, & Accidens. Interim pro exemplo accipitur hìc Subſtantia; quia Prædicata, quæ ad ipſam ſpectant, clariùs poſſunt deduci. Ponitur autem Subſtantia Summum Genus; quamvis enim aliud adhuc ſupra ſe habeat, nimirum, *Ens*; quia tamen Ens ad nullam Lineam Prædicamentalem ſpectat, ſed omnes tranſcendit, ideò in iſtis Lineis non attenditur.

67. Jam verò Terminus Particularis eſt Terminus Communis, cui præfigitur Signum Particulare, ùt, *Aliquis homo*. Differt à Termino Singulari, quia Terminus Singularis verificatur in aliquo, etiam quoad nos determinato; ùt, *hic Homo*, verificatur determinatè v. g. de Petro. Terminus autem Particularis, licèt verificetur in aliquo quoad ſe determinato, ùt videbimus in Regulis Suppoſitionum, non tamen verificatur in aliquo quoad nos determinato. Cùm enim dico: *Aliquis homo*, licèt Terminus quoad ſe cadat in aliquem hominem determinatum: homo tamen iſte non eſt determinatus quoad nos, id eſt: vi Termini non poſſumus dicere, an homo ille ſit Petrus, vel Paulus,

Terminus Particularis.

vel aliquis demum alius. Quæ etiam ratio eſt, cur Terminus iſte vocetur Individuum vagum. Terminus Confuſus, qui etiam Indefinitus dicitur, eſt, qui aliquid ſignificat etiam quoad ſe indeterminatè, ùt, Homo, non enim magìs ſignificat hunc, quàm illum hominem.

Confuſus.

68. Secundò ſubdividitur Terminus Communis in Collectivum, & Diviſivum, ſeu Diſtributivum. Terminus Collectivus dicitur, qui plura ſignificat ſolùm conjunctim, ſeu qui multitudinem in unum totum per accidens congregatam ſignificat, & de pluribus ſimul ſumptis prædicatur, ùt, *Populus; Exercitus.* Neque enim de uno homine ſeorſim ſumpto poſſum dicere, quòd ſit Populus, aut de uno Milite, quòd ſit Exercitus; ſed ex parte Subjecti debeo accipere omnes homines, qui conſtituunt Populum, aut Exercitum, dicendo v. g. & Petrus, & Paulus, & reliqui ſimul ſumpti ſunt Populus, aut Exercitus. Advertendum autem hìc, Terminum aliquem reſpectu quorumdam poſſe eſſe Collectivum, & reſpectu aliorum Communem. Sic Exercitus reſpectu Militum, quibûs conſtat, eſt Terminus Collectivus, ùt modò vidimus; reſpectu autem Exercituum quorumvis eſt Terminus Communis, quemadmodùm conſtat ex ſuprà dictis. Terminus Diviſivus, ſeu Diſtributivus eſt, qui ita plura ſignificat, ut de ſingulis ùt diviſis dici poſſit, ùt, *Civis,* qui omnes Cives ſignificat, & de ſingulis ùt

Collectivus.

Diviſivus.

Digitized by Google

ùt à collectione diviſis dicitur, cùm & Petrus v. g. ſit Civis, & Paulus ſit Civis, & ſic deinceps, nec, ut de iis prædicetur Civis, accipiantur per modum Collectionis. Equidem Terminus hic Diviſivus, ſeu Diſtributivus, multùm affinis eſt Termino ſimpliciter Communi; poteſt tamen dici aliqua ratione ab eo differre, in quantum Terminus ſimpliciter Communis convenit pluribus, præcisè prout in ſe ſunt, & non attendendo, utrum ſint Collectio, vel non ſint; Terminus autem Diviſivus, quando ſumitur ùt talis, concipitur convenire pluribus, determinatè, quin plura hæc debeant ſumi per modum Collectionis.

PARAGRAPHUS IV.

De Termino Univoco, Æquivoco, & Analogo, ac de Tranſcendentali, & Non Tranſcendentali.

69. TErminus Communis Diſtributivus primò alius eſt Univocus, alius Æquivocus, alius Analogus. Univoca ab Ariſtotele in Categ. c. 1. dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ per nomen ſignificata eſt eadem. Æquivoca autem juxta eundem Philoſophum l. c. ſunt, quorum ſolum nomen commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ per

per nomen ſignificata eſt diverſa. Itaque clariùs Terminus Univocus eſt, qui de omnibus, ad quæ ſignificanda primariò eſt inſtitutus, ita prædicatur, ut ratio per illum ſignificata eadem in omnibus reperiatur, ùt, *Homo*, *Animal*; nam ratio per Terminum, *Homo*, ſignificata, nempe humanitas, convenit omnibus hominibus. *Animal*, autem ita pariter de pluribus prædicatur, ut ratio ſignificata ſit eadem in omnibus. Dixi autem: *Ratio ſignificata*; quia ùt notat Arriaga Diſp. 1. Sect. 3. n. 20. Ad Terminum Univocum non requiritur, ut res per eum ſignificatæ ſint omnino ſimiles, ſed ſufficit, ſi in ratione per Terminum importata conveniant. Sic itaque hoc nomen, *Animal*, eſt Univocum, non quia omnia animalia ſunt ſimilia, aut ejusdem ſpeciei, cùm inter ſe variis ſpeciebûs differant; ſed quia in ratione animalis, quæ per nomen importatur, conveniunt. Sunt autem hæc dicta de Termino Univoco ſtrictè ſumpto.

Univocus.

In quibus poſſint Univoca diſconvenire?

Æquivocus

70. Terminus porrò Æquivocus itidem ſtrictè ſumptus eſt, qui convenit pluribus ſub ratione omnino diverſa; ſeu qui quidem prædicatur de pluribus, ſed ita, ut ratio per illum ſignificata ſit in illis omninò diverſa, ùt, *Gallus*, reſpectu hominis nati in Gallia, & Galli gallinacei; vox enim hæc utrumque ſignificat; ſed diverſam omnino rationem habet in Gallo homine, & diverſam in Gallo ave; cùm in illo quidem, animal rationale ſignificet na-

tum

Digitized by Google

tum in Gallia; in iſto autem animal irrationale Gallinaceum. Pariter, *Canis*, eſt Terminus Æquivocus, reſpectu Canis terreſtris, & Canis Cœleſtis, itidem ob rationem, quam ſignificat in utroque diverſam; priori enim acceptione Animal ſignificat, poſteriori Sidus.

In quibus poſſint Æquivoca convenire?

71. Termino Æquivoco, ùt habet itidem Arriaga loc. mox. cit. n. 21. viciſſim non nocet convenientia inter ſe rerum ab eo ſignificatarum, niſi quando præcisè ea convenientia intenditur explicari per Terminum. Hinc intelliges, qua ratione, *Animal*, etiam quando ſignificat Hominem natum in Gallia, & Gallum gallinaceum, ſit Terminus Univocus; nomen verò, *Gallus*, etiam ſi eadem ſignificat, ſit Æquivocus. Ratio eſt; quia, *Animal*, ea ſignificat, quatenùs ſunt ſimilia, & rationem Animalis participant; *Gallus*, verò, licèt eadem ſignificet, non tamen ſignificat, quatenus ſunt ſimilia, ſed quatenùs ſunt diverſa inter ſe, & ſecundùm rationem, qua differunt, hominis nimirùm nati in Gallia, ac animalis irrationalis Galli gallinacei. Eô etiam modô nomina propria, ùt, Petrus, dum hunc, & illum hominem ſignificant, & de pluribus diverſis v. g. Petris prædicantur, etiamſi hi ſint ejusdem ſpeciei, Æquivoca tamen ſunt; quia eos ſignificant, non ùt ſunt unum, aut in ratione humana conveniunt, ſed ùt differunt propriis rationibûs, & ùt quivis eorum eſt unum determinatum ens cum

certo

certo apparatu accidentium in alio non reperibilium, v. g. hic Petrus eſt Juvenis probus, & doctus; ille autem alter Petrus eſt Vir rudis, & improbus, ſicque in cæteris.

Analogus. 72. Terminus Analogus velut medius eſt inter Univocum, & Æquivocum; ac dicitur ille, qui ita de pluribus prædicatur, ut ratio per Terminum ſignificata neque ſit omnino eadem, neque omnino diverſa, ſed partim eadem, partim diverſa. Sic, *Sanus*, eſt Terminus Analogus; quia poſſum v. g. dicere: *Homo ſanus; Cibus ſanus; color ſanus;* prædicatione nec omnino eâdem; nec omnino diversâ. Non omnino eâdem; quia quando, *Sanus*, prædicatur de homine, eſt Forma denominans Sanum: quando prædicatur de cibo, eſt cauſa ſanitatis: quando prædicatur de colore, eſt ſignum ſanitatis: quæ prædicationes, ac rationes ſignificatæ non ſunt omnino eædem; cùm utique non ſit omnino idem, eſſe formam, cauſam, & ſignum ejusdem rei. Nec tamen omninò diverſæ, quia rationes illæ omnes conveniunt in hoc, quòd habeant aliquam proportionem ad ſanitatem.

Analogorum alia ſunt Propria, alia Impropria. 73. Analogorum, ùt ait Hurtado hìc Diſp. 1. Sect. 8. §. 41. alia ſunt Propria; quando ratio Analoga propriè reperitur in ſingulis, ùt, *Ens*, reſpectu Subſtantiæ, & Accidentis, ac etiam reſpectu DEI, & Creaturæ; his enim omnibus ratio Entis propriè convenit, quamvìs non in ſenſu

om-

omnino eodem, uti nec omnino diverſo, ſed proinde in Analogo. Alia impropria, quando ratio Analoga propriè reperitur in uno ſolùm, in aliis verò impropriè, & per comparationem ad proprium, ùt, *Riſus*, reſpectu hominis, & prati; in homine enim reperitur propriè; in prato autem duntaxat impropriè per metaphoram, & comparatione ad hominem.

74. Ex dictis Colligitur, diſcrimen inter Terminum Comunem, & ſtrictè Univocum eſſe, quòd omnis Terminus talis Univocus ſit Communis, non autem omnis Communis Univocus. Ratio eſt; quia Terminus ſtrictè Univocus debet poſſe prædicari ſub eadem omnino ratione de omnibus, ad quæ ſignificanda primariò eſt inſtitutus; Ad Terminum verò Communem ſufficit, ſi de aliquibus, ad quæ ſignificanda primariò eſt inſtitutus, ſub eadem ratione prædicetur. Hinc, *Canis*, eſt Terminus Communis, quia ſub eadem ratione convenit aliquibus, iiſque pluribus, ad quæ ſignificanda primariò eſt inſtitutus, nimirum omni animali latrabili; non tamen eſt Terminus ſtrictè Univocus, ſed potiùs eſt Æquivocus; convenit enim ſub ratione omnino diverſa ſaltem alicui, nimirùm Sideri Cani Cœleſti; aut etiam Piſci Cani marino. *Diſcrimen inter Terminum Communem, & ſtrictè Univocum.*

57. Cæterùm locuti ſumus hucuſque de Terminis tum Univoco, tum Æquivoco ſtrictè talibus, id eſt, dum prædicantur de iis, ad quæ ſignificanda primariò *Cur agatur de Univocis, & Æquivocis ſtrictè*

ſunt

talibus, & quid ſint latè tales?

ſunt inſtituti; nam ſi accipiuntur ii Termini in ſenſu minùs ſtricto, id eſt, etiam pro iis, ad quæ ſignificanda non ſunt primariò inſtituti, ſed duntaxat ſecundariò, vix eſt ullus Terminus Univocus, aut etiam Æquivocus, qui non poſſit ſimul eſſe ſaltem Analogus; cùm plerique ex illis Terminis præter res, ad quas ſignificandas primariò ſunt inſtituti, etiam ſecundariò alias ſignificent, in quibus ſi non omnino alia, ſaltem partim eadem, partim alia eſt ratio. Sic Terminus, *Homo*, qui ad ſignificandum animal rationale primariò eſt inſtitutus, & in hac eadem ſignificatione de omnibus animalibus rationalibus prædicatur, unde ſimpliciter etiam eſt Terminus Univocus ſtrictè ſumptus; Secundariò tamen etiam ſignificat hominem pictum; adeóque, *Homo*, ſi ſumatur in hoc ſenſu minùs ſtricto, de aliquibus prædicari poteſt in ſignificatione non omnino eâdem, cùm verus Homo, utpote animal rationale, utique non ſit idem ac homo pictus, qui res eſt ſine ſenſu, & inanimis; proinde, *Homo*, ita acceptus erit Terminus Analogus. Atque hoc ſenſu tum Ariſtoteles, tum alii paſſim vocem, *Homo*, afferunt pro exemplo Termini Analogi. Verùm, ùt dictum eſt, tunc diſceditur à ſenſu primario illius vocis, & ejus ſignificatio ab iis, ad quæ ſignificanda primò eſt inſtituta, & reſpectu quorum non eſt niſi Terminus Univocus ſtrictè talis, extenditur ad ea etiam, ad quæ ſignificanda

eſt

Digitized by Google

eſt duntaxat ſecundariò inſtituta, & hoc poſito evadit etiam Terminus Analogus. Quæ autem dicuntur hìc de voce, *Homo*, intelligi etiam debent de aliis id genus, quæ occurrunt paſſim.

76. Terminus porrò Communis Diſtributivus alius etiam eſt Tranſcendentalis, alius Non tranſcendentalis. Tranſcendentalis eſt ille, qui de omni ente reali, & poſſibili prædicari poteſt. Tales Termini ſunt ſex, nimirum hi: Res, Ens, Unum, Bonum, Aliquid, Verum; quos hac voce initialibus eorum litteris compoſita, memoriæ causâ, ſunt complexi: REUBAV. Res ſignificat cujuslibet rei eſſentiam. Ens aptitudinem, quam res habet, ut exiſtat. Unum denotat unitatem cujusque rei, per quam eſt indiviſa in ſe, ſeu una, & non plures. Bonum ſignificat intrinſecam cujuslibet rei perfectionem, propter quam eſt amabilis. Aliquid, ſive Aliud quid, ſignificat diſtinctionem omnis rei ab omni alia. Verum denotat cognoſcibilitatem rei, vi cujus quodlibet fundare poteſt veram cognitionem ſui. *Terminus Tranſcendentalis.*

77. Terminus Non tranſcendentalis eſt ille, qui non convenit omni enti, ùt, *Homo; Corpus.* Addit hìc Hurtado Diſp. 1. Sect. 7. §. 37. Terminum Tranſcendentalem eſſe duplicem; nimirum Tranſcendentalem ſimpliciter, & Tranſcendentalem ſecundùm quid. Prior eſt, qui de omni genere entis prædicari poteſt, ùt ſunt ſex illi, quos retulimus. Poſterior verò *Non Tranſcendentalis. Quid cenſendum de Tranſcen-*

dentali ſecundùm quid; eſt, qui in aliquo tantùm genere de omni ſub eo contento poteſt prædicari, ùt *Subſtantia*; nam hæc quidem convenit omni ſpeciei ſubſtantiarum, ſed non omni ſpeciei Entis; quippe Accidens non continetur ſub Subſtantia. Sed res hæc eſt de voce, & ſi lubeat, cum Communi, Terminum Tranſcendentalem ſecundùm quid vocabis ſimpliciter Non tranſcendentalem.

Aut de Supertranſcendentali? Pariter ponunt aliqui in hac Diviſione etiam Terminum Supertranſcendentalem; qui videlicet conveniat non tantùm omni enti reali, & poſſibili, ſed etiam impoſſibili, cujusmodi eſſe volunt, *Imaginabile*; *Intelligibile*. Sed quia non eſt ſatis apud omnes deciſum, an cognoſcere poſſimus impoſſibilia ùt diſtincta ab omni re poſſibili; ideò paſſim hoc tertium membrum ſub Judice relinquitur, nec adducitur in diviſionem.

PARAGRAPHUS V.

Diviſiones Terminorum ex Modo ſignificandi.

De Termino Categorematico, & Syncategorematico; Simplici, & Complexo; Primò-Intentionali, ac Secundò-Intentionali.

78. JAm verò Terminus ex Modo ſignificandi dividitur primò in Categorematicum, & Syncategorematicum. Terminus Categorematicus eſt, qui

Terminus

qui per ſe tam perfectam habet ſignificationem, ut formaliter acceptus ſe ſolo poſſit eſſe Subjectum, vel Prædicatum Propoſitionis, ùt, *Homo; Animal; Petrus.* Syncategorematicus autem eſt, qui formaliter acceptus, propter incompletum, & indeterminatum modum ſignificandi non poteſt ſe ſolo eſſe Subjectum, vel Prædicatum in Propoſitione, ſed neceſſariò exigit adjungi alteri Termino jam per ſe ſignificativo, cujus duntaxat ſignificationem vel auget, vel minuit, ac certô modô afficit: ùt, *Omnis; Nullus; Valde.* Addunt hìc aliqui Terminum Mixtum, qui videlicet ſe quidem ſolo poteſt eſſe Subjectum, vel Prædicatum; includit tamen aliquid, quod ſejunctum non habet perfectam ſignificationem, ùt, *Nemo*; quod idem ſonat, ac: *Nullus homo.* Si itaque per Terminum Mixtum intelligatur ille, qui ſit compoſitus ex duobus Terminis, quorum unus ſeorſim ſumptus eſſet Categorematicus, alter Syncategorematicus, ùt videntur Authores illi intendere, nihil obeſt, quin admittatur talis Terminus; cùm Termini quoad ſenſum ita compoſiti dentur, ùt patet ex allato mox exemplo. Si autem per Terminum Mixtum intelligeretur talis, qui nec eſſet Categorematicus, nec Syncategorematicus, tunc non admittitur Terminus Mixtus; cùm omnis Vox ita ſit inſtituta, talémque ſignificationem habeat, ut ſe ſola poſſit, aut non poſſit eſſe Subjectum, vel Prædicatum Propoſitionis,

Categorematicus.

Syncategorematicus.

Mixtus.

Digitized by Google

nis. Cæterùm Terminum hunc Mixtum non adduximus hìc in Diviſionem tanquam ſpeciale membrum; quia prout jacet, ſimpliciter eſt Categorematicus.

Nomina Subſtantiva ſunt Termini Categorematici; Signa autem Univerſalia, aut Particularia, Syncategorematici.

79. Ex dictis patet, omnia Nomina Subſtantiva eſſe Terminos Categorematicos; quia ita completè ſignificant, ut ſe ſolis poſſint eſſe Subjectum, vel Prædicatum. Signa autem Univerſalia, & Particularia, qualia ſunt: *Omnis; Nullus; Aliquis; Alter; Alteruter; Neuter;* eſſe Terminos Syncategorematicos; quia non ſignificant ita perfectè, & determinatè, ut ſe ſolis poſſint eſſe Subjectum, aut Prædicatum. Atque hæc apud pleroſque paſſim ſatis definita ſunt, & certa.

Adjectiva accenſentur Categorematicis.

80. Sed majus dubium eſt, an Nomina Adjectiva inter Terminos Categorematicos habenda ſint, an verò inter Syncategorematicos. Cenſeo cum Caſilio c. 4. & communiori contra Arriagam Sect. 4. n. 24. Adjectiva ſimpliciter, ac propriè talia, ùt ſunt v. g. *Doctus; Bonus; Potens;* referenda eſſe inter Terminos Categorematicos. Ratio eſt, quia ſe ſolis poſſunt eſſe ſaltem Prædicatum Propoſitionis; & dum prædicantur, etiam ſine ullo adjuncto, habent perfectam ſignificationem, ùt patet in his Propoſitionibus: *Petrus eſt doctus; DEUS eſt potens.* Oritur inde iſtud, ùt notat Oviedo Controv. 1. Punct. 3. n. 4. quia Nomina Adjectiva important formam realem, ac abſolutam, ſive dein

diſtin-

diſtinctam à Subjecto, cui ea adjungitur, ſive cum eo identificatam; ùt, *Doctus*, importat doctrinam; *Bonus*, bonitatem. Cùm igitur forma hæc in ſe ſit Terminus Categorematicus, nomen, quod ipſam importat, & in Recto ſumitur, hoc ipſo eſt etiam Categorematicum, ac perfectè ſignificativum.

81. Adverbia autem, Præpoſitiones, Conjunctiones, & Caſus Obliqui, non ſunt Termini Categorematici; quia ſe ſolis non poſſunt eſſe Subjectum, vel Prædicatum. Sed neque propriè ſunt Termini Syncategorematici, ùt jam notatum eſt n. 10. quia etiam cum aliis Terminis ſumpti non poſſunt in Recto ſubjici, aut prædicari. Intelligi autem hæc debent: Si voces illæ accipiantur Formaliter, ac pro ſuo ſignificato; nam ſi accipiantur Materialiter, ac pro nuda voce, ſunt Termini Categorematici; quia ſic, cùm ſupponant pro ſe ipſis, poſſunt eſſe Subjectum, vel Prædicatum.

Adverbia, Præpoſitiones, Conjunctiones, & Caſus Obliqui nec ſunt propriè Syncategorematici.

82. Terminus porro Categorematicus alius eſt Simplex, alius Complexus. TerminusSimplex, ſeu ùt etiam appellant, Incomplexus, eſt, cujus partes à ſe invicem diviſæ, ac ſeparatæ vel nullam omnino habent ſignificationem, vel non eandem, quam habebant conjunctæ. Sic Vox illa: *Homo*, eſt Terminus Simplex; quia partes; *Ho*, & *mo*, ex quibus componitur, ſi ſeorſim ſumantur, nullam habent ſignificationem. Item vox: *Dominus*, eſt Terminus

Terminus Simplex.

minus Simplex; quia licèt ejus partes ſeparatæ aliquam ſignificationem habeant, nimirum hanc: *Do*, & *minus*; non tamen eandem, ac cùm erant compoſitæ. Sic etiam, *Reſpublica*, eſt Terminus Simplex; quia ejus partes conjunctæ ſignificant Communitatem hominum, quam non ſignificant ſeparatæ.

Complexus. 83. Terminus Complexus eſt, cujus partes à ſe invicem ſeparatæ perfectam ſignificationem habent, eámque ipſam, quam habebant conjunctæ, v. g. *Homo doctus*. Ad Terminum Complexum requiruntur hæc quinque. 1. Ut Terminus Complexus involvat plures Terminos explicitè; hinc rurſum, *Homo*, non eſt Terminus Complexus; quia licèt idem ſit ac: *Animal rationale*; eos tamen Terminos involvit duntaxat implicitè. 2. Ut Termini illi, ex quibus componitur Terminus Complexus, etiam ſeparati habeant perfectam ſignificationem. Hinc: *Omnis Homo*, non eſt Terminus Complexus; quia, *Omnis*, ex quo partialiter componitur, non habet, ſi ſeorſim ſumatur, perfectam ſignificationem. 3. Ut intercedat inter duos hos, pluréſque Terminos aliqua compoſitio, vel connexio, ſaltem Grammaticalis, qualis v. g. datur inter Subſtantivum, & Adjectivum, ùt: *Homo pictus*; vel inter duo Subſtantiva, aut Adjectiva connexa per particulam, *Et*, vel æquivalentem, ùt, *Homo*, & *Leo*. Si non datur aliqua ejuſmodi connexio, Termini dicun-

dicuntur Diſparati. 4. Ut Termini illi habeant diverſas inter ſe ſignificationes, hinc: *Marcus Tullius*, non eſt Terminus Complexus; quia voces illæ nihil diverſum, ſed prorſus eundem hominem ſignificant. 5. Denique, ut Termini illi conjuncti eandem ſignificationem retineant, quam habebant ſeparati. Ex quo defectu, ùt dictum eſt, vox, *Dominus:* non eſt Terminus Complexus; quia partes conjunctæ aliud ſignificant, quàm ſeparatæ. Idem eſt de voce: *Eraſmus*, quam ſi dividas, prodibit alia hæc ſignificatio: *Eras Mus.*

84. Rurſus Terminus Categorematicus Simplex ponitur alius Primò - Intentionalis, alius Secundò - Intentionalis. Terminus Primò - Intentionalis, quem etiam Terminum Primæ Intentionis vocant, ex mente Toleti L. 1. c. 13. eſt ille, qui ſignificat rem præcisè prout in ſe, & ſecundùm ſe eſt, non autem ùt jam cognitam alia cognitione, ac affectam aliqua denominatione ex tali cognitione orta. Tales ſunt: *Leo*; *Arbor*. Secundò - Intentionalis autem, qui etiam Terminus ſecundæ intentionis appellatur, eſt ille, qui ſignificat rem, ùt jam affectam aliqua denominatione ex priori cognitione orta. Tales Termini ſunt: *Subjectum*; *Prædicatum*; *Univerſale*; *Genus*; *Species*; nulla enim res ex ſe eſt Subjectum, ſed priùs cognoſci debet, & apprehendi ùt talis, de qua aliquid affirmatur, vel negatur, adeóque ſubſtare co-

Primò - Intentionalis.

Secundò-Intentionalis.

Digitized by Google

gnitioni, à qua hanc denominationem accipiat. Par ratio eſt de Prædicato, Univerſali, Genere, Specie, ac aliis ejusmodi.

Aliud eſt, Terminum eſſe Primò-aut Secundò-Intentionalem; aliud ſumi Primò-aut Secundò-Intentionaliter.

85. Cæterùm advertendum, aliud eſſe, Terminum eſſe Primò-aut Secundò-Intentionalem; & aliud, Terminum Primò-aut Secundò-Intentionaliter ſumi; poteſt enim Terminus, qui de ſe eſt Primò-Intentionalis, ſumi Secundò-Intentionaliter, & viciſſim. Sic Terminus, *Homo*, eſt quidem Primò-Intentionalis; cùm ita ſimpliciter acceptus non ſit affectus ulla denominatione ex priori aliqua cognitione orta; ſi tamen reflexè dicatur; *Homo, in hac Propoſitione: Homo eſt Animal rationale, eſt Subjectum*; ſic ſumitur, *Homo*, Secundò-Intentionaliter; quia aliquid prædicatur de ipſo ùt jam affecto denominatione orta ex præcedente cognitione, videlicet ex illa, quâ cognoſcitur ùt Subjectum. Viciſſim, licèt, *Subjectum*, ſit Terminus Secundò-Intentionalis, ùt vidimus; quando tamen dico: *Subjectum eſt id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur*; ſumitur, *Subjectum*, Primò-Intentionaliter; quia ſumitur præcisè prout eſt in ſe, & non prout affectum denominatione ex cognitione præcedente.

Solvuntur Objectiones.

86. OBj. 1. Contra Doctrinam de Termino Categorematico, & Syncategorematico. Signa Univerſalia,

lia, aut Particularia, ùt: *Nullus*, *Aliquis*, poſſunt eſſe Subjectum, vel Prædicatum: Ergo malè dicitur, quòd ſint Termini Syncategorematici. P. A. In his Propoſitionibus: *Nullus vagatur in platea; Aliquis orat in Templo*; *Nullus*, & *Aliquis*, ſunt Subjectum: Ergo,

R. D. A. Hæc ſigna poſſunt eſſe Subjectum, vel Prædicatum ſe ſolis, N. Si ſubintelligatur Nomen aliquod Subſtantivum, C. A, & N. C. In allatis Propoſitionibus ſubintelliguntur Subſtantiva, ut ſenſus v. g. ſit: *Nullus Civis vagatur in platea*; *Aliquis Studioſus orat in Templo*.

87. Obj. 2. & urgetur argumentum. Etiam ſub Adjectivis, quæ tamen dicimus eſſe Terminos Categorematicos, intelligitur Nomen Subſtantivum: Ergo data reſponſio non ſubſiſtit, ac vel Signa Univerſalia, & Particularia ſunt Termini Categorematici, vel Nomina Adjectiva non ſunt Termini Categorematici.

R. D. A. Etiam ſub Adjectivis, quæ tamen dicimus eſſe Terminos Categorematicos, intelligitur Nomen Subſtantivum importatum per ipſum Adjectivum, C. non importatum per ipſum Adjectivum. N. A. & C. Diſparitas itaque inter Adjectiva, quæ dicimus eſſe Terminos Categorematicos, & Signa Univerſalia, ac Particularia, quæ dicimus eſſe Terminos Syncategorematicos, eſt iſta; quòd illa importent, ſive ſignificent per ſe Nomen Subſtantivum, nimirum ſuam Formam,

ùt: *Doctus*, importat Doctrinam, aut *Albus*, Albedinem; iſta verò nullum ejusmodi Subſtantivum, ac nullam Formam per ſe inferant, ùt: *Nullus*, in quo nihil quidpiam determinatum, ùt Homo, aut Leo, vel quid ejusmodi percipitur.

88. Obj. 3. Saltem Caſus Obliqui poſſunt eſſe ſe ſolis Subjectum, aut Prædicatum: Ergo ſaltem hi poſſunt dici Termini Categorematici. P. A. In hac Propoſitione: *Petrus eſt Domi*; item in hac: *Iſte liber eſt Petri*: voces: *Domi*, & *Petri*, ſunt Prædicatum: Ergo.

R. N. A. ad P. rurſum N. A. In his Propoſitionibus Prædicatum eſt implicitum; ac ſenſus eſt: *Petrus eſt exiſtens domi*; *Iſte Liber eſt ſpectans ad Petrum*; ubi voces: *Exiſtens*, &, *Spectans*, ſunt Prædicatum, non verò, *Domi*, & *Petri*.

89. Obj. 4. Contra Doctrinam de Termino Primò-Intentionali. Quilibet Terminus ſignificat rem, & cognitionem. Ergo nullus ſignificat rem, ùt præcisè eſt in ſe: Ergo, ſi dicta ſubſiſtunt, quilibet Terminus eſt Secundò-Intentionalis. A. videtur certum; nam nulla vox uſurpatur actu ad ſignificandam rem, niſi pariter cognoſcatur illa res.

R. D. A. Quilibet Terminus ſignificat rem, & cognitionem directam, quâ cognoſcitur res per Terminum ſignificata, C. cognitionem reflexam, qualem diximus requiri ad Terminum Secundò-Intentionalem. N. Itaque ut Terminus ſit Secundò-

dò-Intentionalis, non ſufficit, Objectum primò cognoſci, prout illud ſimpliciter eſt in ſe, & ſic acquirere denominationem cogniti, quod fit per cognitionem directam; ſed requiritur, ut alia cognitio superveniat in idem Objectum jam affectum aliqua denominatione ſibi indita à cognitione priore; quæ porro cognitio ſuperveniens vocatur cognitio reflexa, & propriè dat eſſe Termino Secundò-Intentionali. Hinc ſi dico: *Petrus eſt cognitus:* non fit ſecunda Intentio; quia, *cognitus*, non tribuit Petro aliam denominationem, quàm præcisè cogniti, nec cognitio hæc eſt reflexa in Petrum jam cognitum, & per cognitionem affectum aliqua denominatione alia, quàm præcisè cogniti. Secus fieret, ſi dicerem: *In propoſitione: Petrus eſt cognitus, Petrus eſt Subjectum;* quia tunc in Petrum cognitum caderet cognitio reflexa, &, ut ex dictis patet, *Petrus*, Terminus de ſe Primò-Intentionalis, ſumeretur Secundò-Intentionaliter.

90. Obj. 5. Si dico: *Cognitio eſt in intellectu; Cognitio*, ſignificat rem, prout eſt in intellectu, & tamen eſt prima intentio: Ergo ad primam intentionem non requiritur neceſſariò, ut cognitio repræſentet rem præcisè, prout res eſt in ſe. In hoc argumento fit æquivocatio. Unde

R. D. Primum membrum antecedentis. Cognitio eo caſu ſignificat rem, prout eſt in intellectu ſubjectivè, ſeu prout eſt in eo recepta, C. prout ibi eſt objectivè, & refle-

reflexè. N. A. & Conſequentiam. Sic etiam, tametſi, *Cognitio*, ſignificet rem dependenter ab intellectu, ſeu ùt ab intellectu producta, & in eo recepta, tamen *Cognitio*, non eſt ſecunda intentio; quia hæc dependentia eſt meræ cauſalitatis, non autem reflexionis.

91. Obj. 6. Omnis Terminus eſt Subjectum, vel Prædicatum, ùt conſtat ex Definitione Termini: Ergo ſi Subjectum, & Prædicatum ſunt Termini Secundò-Intentionales, omnis Terminus eſt Secundò-Intentionalis.

R. D. A. Omnis Terminus eſt Subjectum, vel Prædicatum directè ſumptum, C. A. reflexè ſumptum, N. A. & conſequentiam. Non enim quodvis, de quo aliquid prædicatur in Propoſitione, reflexè cognoſcitur eſſe Subjectum, vel Prædicatum; quod tamen, ùt vidimus, neceſſarium eſt ad ſecundam intentionem.

PARAGRAPHUS VI.

De Termino Finito, & Infinito; Concreto, & Abſtracto; Abſoluto, & Connotativo; Poſitivo, Negativo, & Privativo.

Terminus Finitus.

92. Ulteriùs dividitur Terminus Categorêmaticus in Finitum, & Infinitum. Terminus Finitus, qui etiam Finitans dicitur, eſt, qui aliquid determinatè ſignificat, ùt: *Homo*; *Lapis*. Ter-

Terminus autem Infinitus, qui etiam Infinitans appellatur, eſt, qui per particulam, *Non*, infinitantem à ſuo ſignificato trahitur ad ſignificandum indeterminatè omne à ſe diſtinctum, ùt: *Non Homo; Non Lapis.* Sic in hac Propoſitione: *Non Petrus currit: Non Petrus*, eſt Terminus infinitans, & ſenſus eſt: Aliquid, quod non eſt Petrus, currit. Cæterùm à Termino Finito vocatur Propoſitio Finita, ac à Termino Infinito appellatur Infinita. Erit autem Infinita, dummodò unus in ea Terminus ſit Infinitus. *Infinitus.*

93. Notandum verò, Particulam, *Non*, immediatè debere afficere Terminum, ut hic evadat Infinitus, ac proin Propoſitio, in qua eſt, dicatur Infinita; ùt v. g. *Leo eſt non Lapis;* quæ Propoſitio eſt Infinita, ſeu Infinitans, & affirmativa; nam ſi Particula, *Non*, non immediatè afficeret Terminum, Prædicatum videlicet, aut Subjectum, ſed Copulam hoc modo: *Leo non eſt Lapis*, Propoſitio non eſſet Infinita, ſed Negativa. Itaque Particula, *Non*, ſubinde ſumitur Infinitanter, ſubinde autem Neganter. Infinitanter ſumitur, cùm immediatè afficit Subjectum, vel Prædicatum; ùt: *Non Lapis eſt Homo*, vel: *Lapis eſt non Homo.* Neganter verò accipitur, cùm immediatè afficit Copulam, ùt: *Homo non eſt Lapis.* Porro omnis Terminus Categorematicus Finitus evadere poteſt Infinitus, ſi Termino Finito immediatè apponatur Particula, *Non*, ùt ex allatis, & *Quandonam Propoſitio fiat Finita, vel Infinita?*

ob-

obviis quibusque exemplis patet. Secus eſt de Terminis Syncategorematicis, ùt: *Nullus*, *Aliquis*; hi enim, cùm Termini Categorematici non ſint, adeóque nec Finiti, neutiquam poſſunt per particulam, *Non*, reddi Infiniti. Verba porro non infinitantúr, niſi fortaſſis rariſſimè; nam aliàs prodiret ſenſus à communi acceptione omnino alienus, v. g. hæc Propoſitio: *Petrus non currit*, ſi eam velles eſſe infinitam, haberet hunc ſenſum: Petrus eſt aliquid non currens, ac ſimul foret Affirmativa; quod nemo ſuſpicaretur, cùm omnes cenſeant, eam Propoſitionem eſſe Negativam.

Terminus Concretus, & Abſtractus.

94. Sed Terminus Finitus alius eſt Concretus, alius Abſtractus. Terminus Concretus eſt, qui ſignificat aliquid per modum Compoſiti ex Subjecto, & Forma. Abſtractus eſt, qui ſignificat ſolam Formam. Duas itaque partes involvit quodlibet Concretum: Subjectum nimirum, & Formam. Subjectum hôc locô eſt illa pars Concreti, quæ accipit denominationem ab altera parte, unde etiam vocatur Denominatum; vel SubjectumDenominationis; item Significatum materiale; quia eſt quaſi materia, cui Forma denominans adjacet, aut velut inhæret. Forma autem eſt illa pars Concreti, quæ tribuit alteri parti denominationem, vel Significatum formale. Res clarior fiet in exemplo. Sic, *Doctus*, eſt concretum, & ſi exponatur, idem ſignificat, ac: *Habens*

Do-

Digitized by Google

Doctrinam, vel: *Subjectum habens Doctrinam.* Involvit igitur duo, videlicet Subjectum, quod habet Doctrinam, & ipſam Doctrinam. Subjectum, aut res habens Doctrinam, dicitur Subjectum Concreti; quia eſt illa pars Concreti, quæ accipit denominationem ab altera parte, quam Concretum ſignificat, nimirum à Doctrina: Doctrina autem eſt Forma hujus Concreti; quia eſt illa pars Concreti, quæ alteri parti tribuit denominationem. *Doctus*, itaque eſt Terminus Concretus, *Doctrina*, verò Terminus Abſtractus..

Concretum aliud eſt Adæquatè intrinſecum;

95. Concretum porrò inprimis aliud eſt Adæquatè intrinſecum, aliud Adæquatè extrinſecum, aliud Partim intrinſecum, partim extrinſecum. Concretum Adæquatè intrinſecum eſt, cujus Forma eſt adæquatè intrinſeca Subjecto, ùt: *Albus*. Albedo enim, quæ eſt Forma denominans Album, eſt adæquatè intrinſeca rei, quam denominat Albam, v. g. *Muro*.

Aliud Adæquatè extrinſecum.

Concretum Adæquatè extrinſecum eſt, cujus Forma eſt adæquatè extrinſeca Subjecto, ùt: *Viſus*, reſpectu Muri à me viſi; nam Viſio, quæ eſt Forma denominans viſum, cùm ſit tota in me, eſt adæquatè extra Subjectum Concreti, ſeu extra murum. Tale Concretum eſt etiam, *Amatus*; nam amor, qui eſt Forma hujus Concreti, eſt totus extra Subjectum amatum, nimirum totus in amante.

Aliud Partim intrinſecum, par-

Concretum Partim intrinſecum, partim extrinſecum eſt, cujus Forma eſt partim intrinſeca Sub-

tim extrinſecum. Subjecto, & partim extrinſeca, ùt: *Æqualis, Similis*; nam Æqualitas, & Similitudo, quæ ſunt Formæ denominantes v. g. unum palmum æqualem alteri, aut hunc hominem illi ſimilem, non ſunt adæquatè intrinſecæ, aut extrinſecæ uni palmo, aut homini, ſed inſunt partim uni, partim alteri; nihil enim ſibi æquale eſt, aut ſimile, & æqualitas, aut Similitudo non niſi ſaltem inter duo haberi poteſt.

Adæquatè intrinſecum ſubdividitur in Phyſicum; 96. Ex Concretis Adæquatè intrinſecis, quædam ponuntur Phyſica, quædam Metaphyſica. Phyſicum eſt, quod ſignificat Formam phyſicè, ſeu realiter diſtinctam à Subjecto, & huic duntaxat unitam, ùt: *Albus;* Albedo enim realiter eſt diſtincta v. g. à Muro, quem denominat Album, & cui unitur. *Et Metaphyſicum.* Metaphyſicum eſt, quod ſignificat Formam metaphyſicè tantùm, & formaliter, hoc eſt, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, diſtinctam à Subjecto, quocum cæteroquin phyſicè, & realiter identificatur, ùt: DEUS; Deitas enim, quæ eſt Forma denominans DEUM, non eſt phyſicè, ſeu realiter, ſed duntaxat metaphyſicè, & formaliter diſtincta à DEO; in quantum nimirum DEUS, & Deitas diverſô modô concipiuntur, licèt ſint res omnino eadem.

Aliud etiam eſt Concretum Subſtantiale; 97. Dein verò aliud etiam eſt Concretum Subſtantiale, aliud Accidentale. Concretum Subſtantiale eſt, cujus omnis pars, videlicet tam Subjectum, quàm Forma,

ma, eſt Subſtantia, ùt: *Homo*; nam tam Subjectum hujus Concreti v. g. *Petrus*, quàm Forma, ſeu Humanitas eſt Subſtantia. Concretum Accidentale illud dicitur, cujus una ſaltem pars eſt Accidens, ùt: *Album*; nam Albedo, quæ in hoc Concreto eſt Forma, eſt Accidens. Concretum Subſtantiale aliud eſt Concretum Naturæ, quod explicitè ſignificat Naturam, ùt: DEUS, aliud Perſonæ, quod explicitè ſignificat Perſonam, ùt: *Petrus*.

Aliud Accidentale.

Subſtantiale eſt vel Naturæ, vel Perſonæ.

98. Jam verò Concretum triplici modò ſumi poteſt; nimirùm Specificativè, Reduplicativè, & Concretivè. Specificativè, ſeu ùt etiam loquuntur, Materialiter, aut Denominativè ſumitur Concretum, quando ei Prædicatum convenit non ratione Formæ, ſed ratione Subjecti tantùm, ùt: *Logicus ludit*; luſus enim, qui hìc eſt Prædicatum, convenit Logico non ratione Logicæ, quæ eſt Forma denominans hoc Concretum, ſed præciſè ratione Subjecti, ut ſenſus ſit; Ille homo, qui aliàs eſt Studioſus Logicæ, ludit. Reduplicativè, ſeu Formaliter, ſumitur Concretum, quando Prædicatum illi convenit tantùm ratione Formæ, & non ratione Subjecti, ùt cùm dico: *Album eſt coloratum*; *Album*, ſumitur Reduplicativè; nam dicitur coloratum propter Formam tantùm, ſeu propter ſolam albedinem. Concretivè denique ſumitur Concretum, quando Prædicatum illi convenit ratione utriusque partis, Subjecti nimirum, &

Concretum ſumi poteſt Specificativè;

Reduplicativè;

Aut Concretivè.

Digitized by Google

Formæ, ita ut utraque pars importetur in Recto, ùt: *Album eſt compoſitum Accidentale*; ſenſus enim eſt iſte: Murus v. g. & ejus Albedo ſimul ſunt compoſitum Accidentale.

Quid ſignificent Particulæ: Quà; Quatenus; In quantum; aut ſimiles, in expoſitione Concreti?

99. Porro Concretum, quando ſumitur Reduplicativè, exponi ſolet per Particulas: Quà; Quatenus; In quantum, & alias id genus; ùt cùm dicitur: *Muſicus cantat*; Si accipiatur Concretum Reduplicativè, ſic exponimus: Muſicus, quà Muſicus cantat, ſive: Cantus convenit huic Subjecto, ſeu Homini, ratione Formæ, ſeu Muſicæ. Sunt tamen hæ ipſæ Particulæ duntaxat tunc ſigna acceptionis reduplicativæ, quando itidem Prædicatum convenit Subjecto, ratione Formæ, non item aliàs. Hinc quando dicitur: *Juſtus quà Juſtus poteſt peccare venialiter*; Concretum, *Juſtus*, non accipitur Reduplicativè; quia potentia peccandi non convenit Juſto ratione Juſtitiæ; ſed tantùm volumus indicare, Hominem, non obſtante, quòd ſit Juſtus, ac manente Juſtitia, poſſe peccare venialiter. Adeóque ſignificatur hic per iſtum modum mera non repugnantia Prædicati cum Subjecto. Nonnunquam reduplicatur ſola conditio, ùt quando dico: *Ignis quà applicatus urit*. Applicatio enim reduplicata non conſideratur tanquam cauſa uſtionis, ſed duntaxat conditio.

100. Sed Quæres, quid Concreta importent in Recto? Per Rectum, ùt jam initio

initiò notatum eſt, intelligitur Caſus Nominativus, reliqui Caſus omnes autem ſunt Obliqui. Unde ſenſus Quæſtionis eſt iſte: Quænam pars Concreti efferatur in Nominativo? nimirum implicitè in ipſo Concreto, & explicitè, ſi Concretum exponatur. Hac de re pluribûs diſputatur peculiari locò in decurſu Philoſophiæ; ut autem facilis Regula interim habeatur,

101. R. In Recto importatur id, quod in Propoſitione immediatè, & directè ſubjicitur, aut prædicatur; ſive quod immediatè, & directè, mediante Copula, in Propoſitione Affirmativa affirmatur ùt identificatum; in Propoſitione verò Negativa ùt diſtinctum. Contrà autem in Obliquo importatur illud, quod affirmatur duntaxat tanquam conexum, & cohærens. Exemplo ſit hæc Propoſitio: *Muſicus ambulat*; in qua invenitur Concretum, *Muſicus*. Dico jam, quòd reſpectu hujus Concreti in Recto importetur, reſpectu quidem Subjecti ille, qui callet Muſicam, ex parte Prædicati verò ille, qui exercet ambulationem; quia hæc immediatè affirmantur ùt connexa inter ſe; Muſica verò, & ambulatio tantùm importantur in Obliquo; quia non affirmantur ùt identificatæ aut cum ente, aut inter ſe; ſed ſunt tantùm aliquid connexum cum ente callente Muſicam, & exercente ambulationem. Idem intellige in hac Propoſitione, qua dico: *Album eſt dulce*; ubi res,

Quid Concreta importent in Recto?

quæ habet albedinem, concipitur identificata cum re habente dulcedinem, adeòque importantur in Recto; albedo autem, & dulcedo non concipiuntur ùt identificatæ, adeòque importantur in obliquo. Si verò dicam: *Album eſt compoſitum accidentale*; quo caſu, ut patet ex dictis, Concretum ſumitur Concretivè, tunc ex parte Subjecti utraque pars Concreti, *Album*, nimirum Subjectum, & Forma, importantur in Recto; quia utraque concipitur ùt identificata cum toto accidentali.

Terminus Abſolutus. 102. Ulteriùs dividitur Terminus Categorematicus in Abſolutum, & Connotativum. De his multa Hurtado eſt lis Diſp. 1. Sect. 9. §. 43. contra Toletum, & Sotum. Mihi ab Arriaga Diſp. 1. Sect. 4. n. 32, Terminus Abſolutus rectè deſcribi videtur ille, qui ſignificat per modum per ſe ſtantis; id eſt, qui vi ſui modi ſignificandi poteſt ſe ſolo eſſe Subjectum. Tales Termini ſunt omnia Subſtantiva, ùt: *Albedo*; *Dulcedo*; aut etiam Adjectiva, cùm Subſtantivè ponuntur, ùt: *Album*, in propoſitione, qua dico: *Album eſt dulce.*

Et Connotativus. Terminus Connotativus viciſſim eſt, qui ſignificat per modum adjacentis alteri; ſive, qui vi ſui modi ſignificandi non poteſt eſſe ſe ſolo Subjectum Propoſitionis, ſed tantùm Prædicatum. Tales Termini ſunt omnia Nomina Adjectiva, quæ non ponuntur ſubſtantivè.

Diſcrimen 103. Differt porrò Terminus Abſo-

lutus

lutus à Categorematico; quia Terminus Categorematicus, ùt diximus, eſt ille, qui tam perfectè ſignificat, ut poſſit eſſe Subjectum, vel Prædicatum Propoſitionis; adeóque ad rationem Termini Categorematici ſufficit, ſi alterutrum eſſe poſſit. Contra verò ad Terminum Abſolutum non ſufficit, quòd poſſit eſſe Prædicatum; ſed requiritur inſuper, ut poſſit eſſe Subjectum; nam etiam Adjectiva, quæ tamen non ſunt Termini Abſoluti, poſſunt eſſe Prædicatum. Unde omnis quidem Terminus Abſolutus eſt Categorematicus, ſed non omnis Categorematicus eſt hôc ipſo Abſolutus. Pariter datur diverſitas inter Terminum Connotativum, & Syncategorematicum; nam Terminus Connotativus ſe ſolo poteſt eſſe Prædicatum, unde etiam continetur ſub Categorematico; Secus eſt de Termino Syncategorematico; nec enim hic poteſt ſe ſolo eſſe vel Prædicatum, vel Subjectum, unde eſt Categorematico contra diviſus.

inter Terminum Abſolutum, & Categorematicum.

Item inter Connotativum, & Syncategorematicum.

104. Poſtremò Terminus Categorematicus alius eſt Poſitivus, alius Negativus. Terminus Poſitivus eſt, qui ſignificat aliquid reale, & verum ens, ùt: DEUS; *Homo; Lapis.* Terminus Negativus eſt, qui ſignificat negationem, ſeu carentiam, aut abſentiam rei poſitivæ, & realis, v. g. *Cæcitas, Tenebræ.* Sed Terminus Negativus ſubdividitur in ſtrictè Negativum, & Privativum. Strictè Negativus eſt, qui ſigni-

Terminus Poſitivus.

Negativus.

Qui alius eſt Strictè talis;

ſignificat negationem Formæ in Subjecto incapaci, ùt: *Non videns*, reſpectu Lapidis, qui utique non eſt capax visûs. Privativus eſt, qui ſignificat carentiam Formæ in Subjecto ejusdem capaci, ùt: *Cæcus*, reſpectu Hominis, qui eſt Subjectum capax visûs.

Alius Privativus.

PARAGRAPHUS VII.

De Terminis Comparatis.

Diviſio Terminorum ex Comparatione. Termini Comparati ſunt duplicis generis; Impertinentes, Et Pertinentes.

105. QUarta denique Terminorum Diviſio ſumitur ex Comparatione ad invicem. Comparatorum autem aliqui ſunt Pertinentes, alii Impertinentes. Impertinentes dicuntur illi, qui nec mutuò ſibi repugnant, nec ſeſe mutuò legitimâ conſequentiâ inferunt, ùt: *Fortis*; *Dives*; hæc enim ſibi non repugnant; cùm poſſit quis Fortis ſimul eſſe, & Dives; neque verò ſe inferunt; nec enim ex eo, quòd aliquis ſit Fortis, ſequitur, quòd ſit Dives, aut è converſo. Pertinentes ſunt, quorum alter alteri repugnat, aut alter alterum infert; unde alii ſunt Pertinentes Sequelâ, alii Pertinentes Repugnantiâ.

Alii autem ſunt Pertinentes Sequelâ;

106. Pertinentium Sequelâ quidam ſe habent ùt Superior, & Inferior, ùt: *Homo*, &, *Animal*. Inferior eſt, qui infert alterum, quin viciſſim ab altero inferatur; ùt in allato exemplo: *Homo*. Superior eſt, qui

ab

Digitized by Google

ab altero infertur, quin ipſe eum inferat; ùt in eodem: *Animal*; rectè enim arguo: *Eſt homo: Ergo eſt animal*; Sed non viciſſim: *Eſt animal: Ergo eſt homo.* Rurſum Pertinentium Sequelâ quidam ſunt Convertibiles, qui ſe invicem inferunt, ùt: *Homo*; *Riſibile*; alii verò Synonimi, qui eandem rem ſignificant, ſunt tamen diverſæ voces, ùt: *Veſtis*, &, *Indumentum.* Pertinentium porro Repugnantiâ alii ſunt Diſparati, alii Contrarii, alii Privativi, alii Contradictorii, alii Relativi. Diſparati ſunt, qui ſignificant res diverſas, ùt: *Homo*; *Equus.* Contrarii, qui ſignificant res, quæ ſe mutuò ab eodem Subjecto excludunt, ùt: *Calidum*; *Frigidum*; Privativi, ùt dictum eſt ſuperiùs, quorum unus ſignificat carentiam alterius in ſubjecto hujus capaci, ùt: *Videns*; *Cæcum*; dicitur enim Cæcum, quod non videt, aptum tamen erat, ut videret. Contradictorii, quorum unus exprimit negationem alterius, ùt *Currens*; *Non currens.* Relativi ſunt, quorum unus dicit ordinem ad alium, ùt: *Pater*, & *Filius.* Atque hæc doctrina de Terminis inter ſe Comparatis ex Toleto. L. 1. c. 14. deſumpta eſt. Cæterùm poſitis Terminorum Diviſionibûs ad eorundem Terminorum Proprietates exponendas progrediamur.

Alii Pertinentes Repugnantiâ.

ARTICULUS III.

De Proprietatibus Terminorum.

Quid per Proprietates hìc intelligatur?

PRoprietates hìc non ſumuntur in ſenſu ſtricto, ſeu quatenus emanant, ac profluunt ex cujus vis rei eſſentia, velut calor ab igne, frigus ab aqua; ſed Proprietatis nomine intelliguntur Modi quidam, quibus Termino, in Propoſitionibus, uti ſolemus. Tales Modi numerantur Octo; videlicet 1. Suppoſitio, cui adjungitur Aſcenſus, & Deſcenſus Terminorum. 2. Status. 3. Ampliatio. 4. Reſtrictio. 5. Diminutio. 6. Alienatio. 7. Appellatio. 8. Oppoſitio. De Oppoſitione agemus, DEO dante, inferiùs. Reliquas ſeptem Proprietates hôc Articulô diſcutiemus.

PARAGRAPHUS I.

Quid, & quotuplex ſit Suppoſitio?

Unde trahatur nomen Suppoſitionis?

107. SUppoſitionis nomen inde derivatur, quòd, ùt hiſce ferè verbis arguit Ariſtoteles L. 1. Elench. c. 1. cùm res ipſas in alloquium adducere non poſſimus, voces pro illis ſubſtituimus; propemodùm ſicut Luſores, fictos quandoque nummos pro vera pecunia. Unde, ſi ca-

Digitized by Google

ſi caſtigatè loqueremur, vocem pro re, *Supponi*, diceremus; ſed uſus jam obtinuit, ut vocem pro re, *Supponere*, inquiamus; quidquid dudum reclamaverit Fonſeca L. 8. c. 22.

108. Suppoſitionem autem variè definiunt. Fonſeca loc. mox cit. ſic loquitur: Suppoſitio eſt Acceptio nominis pro re, quam ſignificat. Atque hanc Definitionem probat Oviedo Controv. 1. Punct. 4. n. 3. Sed, quod ipſe Fonſeca innuit, ea non convenit Suppoſitioni Materiali, quando videlicet nomen ſupponit pro ſeipſo. Toletus igitur L. 2. c. 1. Suppoſitionem definit: quòd ſit Uſus Termini pro ſe, vel pro ſuo ſignificato. Ea Definitio rem explicat, & ferè in eo duntaxat deficit, quòd ſit disjunctiva. Du Trieu in Manuduct. P. 3. c. 1. ſic loquitur: Suppoſitio eſt Uſurpatio vocis in Oratione poſitæ pro aliquo. Placeret hæc Definitio; ſed, ùt innuit Arriaga Sect. 6. n. 44. etiam extra Orationem, ſeu Propoſitionem, datur Suppoſitio; cùm etiam extra eam voces ſignificent. Itaque faciliùs fortè dicetur ſimpliciter: Suppoſitio eſt Uſurpatio vocis pro aliquo. Quæ Definitio eſt clara, convenítque omni & ſoli, ùt ex dicendis patebit. Notandum autem hìc venit, inter Significationem, & Suppoſitionem Termini intercedere diſcrimen; nam Significatio fit per inſtitutionem vocis ad ſignificandum; Suppoſitio autem eſt uſurpatio Termini jam ſignificantis, ſeu inſtitutio-

Definitio Suppoſitionis.

nem ad aliquam rem ſignificandam jam habentis ; ita ut ſignificatio ſolam afficiat vocem ; Suppoſitio autem tam vocem, quàm vocis ſignificationem.

Suppoſitio alia eſt Materialis ; Et alia Formalis.

109 Jam verò dividitur Suppoſitio in Materialem, & Formalem. Suppoſitio Materialis eſt Uſurpatio vocis pro ſeipſa ; ùt cum dico : *Homo, eſt vox diſſyllaba.* Suppoſitio Formalis eſt Uſurpatio vocis pro ſuo ſignificato, ſeu pro re, ad quam ſignificandam eſt inſtituta, ùt ſi dico: *Homo eſt animal.* Equidem juxta Haunoldum in Log. pract. P. 1. c. 1. a. 5. Suppoſitio Materialis non niſi impropriè eſt dictaSuppoſitio; quia, ùt ille infert, in ea vox non ſubrogatur in locum alterius. Erit tamen propriè talis, ſi, ùt ſupra, ad Suppoſitionem duntaxat requiras, ut vox ponatur pro aliquo; nimirum pro ſe, vel pro ſuo ſignificato; Atque eo ſenſu ùt Membrum dividens ab Arriaga Diſt. 1. ſect. 3. aliiſque paſſim admittitur. Qui cum Toleto L. 2. c. 1. eam rurſus bifariàm dividunt; in Intrinſecam nimirum, & Extrinſecam.

Materialis alia eſt Intrinſeca.

Suppoſitio Materialis intrinſeca eſt Acceptio vocis pro ſeipſa ſecundùm ea, quæ ipſi inſunt intrinſecè, ſeu quæ habet ex natura ſua. Sic accipitur, *Homo*, quando dicitur: *Homo, eſt diſſyllabum: nam vox; Homo*, intrinſecè, & ex natura ſua habet, quòd ſit vox diſſyllaba. Suppoſitio Materialis Extrinſeca eſt Acceptio vocis pro ſeipſa ſecundùm id, quod habet ex inſtitutione hominum, ùt fit, quando dico: *Homo, eſt*

Alia Extrinſeca.

eſt tertia Declinationis; licèt enim hæc vox, *Homo*, neceſſariò ſit vox; non tamen eſt neceſſariò tertiæ Declinationis; poſſit enim eſſe Verbum, vel Conjunctio, aut ſecundæ Declinationis, aut quid ejusmodi.

110. Suppoſitio Formalis autem ſubdividitur potiſſimùm in Simplicem, & Perſonalem. Suppoſitio Formalis Simplex, ùt ait Haun. P. 1. c. 1. a. 5. n. 20. eſt Uſurpatio Termini pro ſuo ſignificato Secundò-Intentionaliter ſumpto; ſeu pro re ùt jam affecta aliqua denominatione, orta ex præcedente cognitione; ùt vox, *Homo*, in hac Propoſitione: *Homo, eſt ſpecies*. Perſonalis eſt Acceptio Termini pro ſuo ſignificato Primò-Intentionaliter ſumpto; ſeu pro re ùt non affecta aliqua denominatione, orta ex præcedente cognitione, ùt: *Homo eſt animal*; *item: Petrus currit*; in quibus Propoſitionibus, *Homo*, &, *Petrus*, ſunt in Suppoſitione Perſonali; quia accipiuntur voces illæ pro rebus ùt non affectis aliqua denominatione, orta ex priore cognitione. Dixi ſuperiùs, Suppoſitionem Formalem, *potiſſimùm*, ſubdividi in Simplicem, & Perſonalem: Nam aliæ etiam ejusdem Subdiviſiones afferuntur, ùt videre eſt apud Oviedo Controv. 1. Punct. 5. ùt, quòd Suppoſitio Formalis alia ſit propria; cùm accipitur Terminus pro re, ad quam ſignificandam primò fuit inſtitutus, ùt cùm dico: *Leo eſt animal rugibile*; alia Impropria: cùm Terminus accipitur pro re, quam impropriè duntaxat ſigni-

Formalis autem alia eſt Simplex;

Alia Perſonalis.

Varia alia ſpecies Subpoſitionis Formalis.

ſignificat, & ad quam denotandam non fuit impoſitus, aut inſtitutus; ùt cùm dicitur: *Vicit Leo de Tribu Juda*; in hac Propoſitione, *Leo*, ſumitur pro Chriſto, quem non propriè, ſed duntaxat per Metaphoram ſignificat. Huic affinis eſt Suppoſitio Eſſentialis; quando Terminus ponitur pro eo, quod res eſſentialiter habet, ùt: *Homo eſt animal*; & Accidentalis; quando accipitur Terminus pro eo, quod habet accidentaliter, ùt: *Petrus currit.* Rurſùs quòd alia ſit Suppoſitio Communis; cùm adhibetur nomen Commune non affectum ſignô Particulari, aut Demonſtrativo; veluti: *Homo currit*; alia Singularis, quam etiam Diſcretam vocant; cùm adhibetur Nomen Singulare, aut Nomen Commune quidem, ſed affectum ſignô Particulari, vel Demonſtrativo, ùt: *Petrus currit*; aut: *Hic homo currit*. Sed hæ minùs ſunt uſui.

Suppoſitio Perſonalis eſt quadruplex.

III. Cæterùm Suppoſitio Perſonalis celeberrima Diviſione quadrifariàm diſpertitur; alia enim eſt Diſtributiva, alia Collectiva, alia Disjunctiva, alia Confuſa. Suppoſitio Diſtributiva, quæ etiam Copulativa vocatur, ex Oviedo Controv. 1. Punct. 5. n. 10. eſt Uſus Termini Communis pro ſuis Inferioribus, ita ut prædicatum inter ipſa diſtribuatur, & de quolibet eorum dici poſſit. Sive, forſan clariùs, Ea eſt Acceptio Termini Communis pro omnibus ſuis Inferioribus ſeorſim ſumptis, ac per Particulam, *&*, enumerandis, ita ut

Diſtributiva.

ille

ille in his etiam ſeorſim ſumptis verificetur. Sic in hac propoſitione: *Omnis homo currit*; Terminus, *Homo*, ſupponit Diſtributivè; quia, ſi ea vera eſt, verum quoque erit dicere: *Et Petrus currit*; *Et Paulus currit*; *Et Joannes currit*; & ſic de cæteris hominibus omnibus. Suppoſitio hæc Diſtributiva alia eſt Completa, alia Incompleta. Completa eſt, quando Terminus Communis accipitur pro omnibus Inferioribus, & de ſingulis verificatur; ùt fit in allata mox Propoſitione. Incompleta eſt, quando Terminus Communis ſumitur tantùm pro ſingulis Generibus, vel pro ſingulis Speciebus ſub Genere contentis, non autem pro ſingulis Individuis; ùt cùm dico: *Omne Animal fuit in Arca Noë*; Senſus enim eſt: Omnes Species animalium fuerunt in Arca Noë, ùt: Leo; Canis; Equus; & ſic de cæteris; non autem omnia Individua; aliàs etiam Bucephalus fuiſſet in Arca Noë. Suppoſitio Diſtributiva Completa vocatur etiam Suppoſitio pro ſingulis Generum; Incompleta verò dicitur pro Generibus Singulorum. Alia eſt etiam Suppoſitio Diſtributiva Abſoluta, alia Accommoda. Suppoſitio Diſtributiva Abſoluta eſt, cùm Terminus ſupponit pro omnibus Inferioribus abſque ulla exceptione, ſive dein hæc ſint Genera, ſive Species, aut Individua, ùt cùm dico: *Omnis homo eſt Animal*, Subjectum: *Omnis homo*; ſumitur in Suppoſitione Diſtributiva Abſoluta; quia

Suppoſitio Diſtributiva alia eſt Completa; Alia Incompleta.

Alia etiam eſt Abſoluta;

quia: *Animal*; prædicatur de omni homine in individuo, nullo excepto. Per hoc autem, quòd hæc Suppoſitio dicatur fieri, ſive Inferiora ſint Genera, ſive Species, ſive Individua; ea differt à Suppoſitione Diſtributiva Completa, quæ propriè eſt de ſingulis Individuis; differt etiam ab Incompleta, quæ propriè ſolùm eſt de Generibus, aut Speciebus. Suppoſitio Diſtributiva Accommoda eſt, quæ admittit aliquam exceptionem in Inferioribus, ùt fit in Subjecto hujus Propoſitionis: *Omnis homo peccavit in Adam*; nam ab eo excipitur B. V. quæ non peccavit in Adam. Idem fit in Prædicato hujus Propoſitionis: *Cælum tegit omnia*; nam ſubintelligi debet: *Præter ſeipſum*.

Alia Accommoda.

Suppoſitio Collectiva.

112. Suppoſitio Collectiva, quæ etiam Copulata appellatur, eſt Acceptio Termini Communis pro ſuis Inferioribus ſimul ſumptis, & per modum unius, ùt fit in Subjecto hujus Propoſitionis: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*; ex ea enim non licet inferre: Ergo Petrus eſt duodecim; Andreas eſt duodecim; aut ſic deinceps; ſed duntaxat: Omnes ſimul ſumpti ſunt duodecim. Collectivè etiam ſupponit Subjectum iſtius Propoſitionis: *Omnia Elementa ſunt quatuor*; nam Prædicatum de Subjecto duntaxat verum eſt, ſi omnia Elementa ſumantur ſimul, non verò ſi ſeorſim.

Suppoſitio Disjunctiva.

113. Suppoſitio Disjunctiva, quam etiam Determinatam dicunt, aut Particularem, eſt Uſurpatio Termini Communis pro

pro ſuis Inferioribus Disjunctivè, ſeu per Particulam, *Vel*, enumerandis: ita ut ſi Propoſitio ſit vera, ad unum, aut ad plu- [illegible] iis, ſaltem quoad ſe determinata, deveniri poſſit, quibus Prædicatum determinatè conveniat, ùt fit in hac propoſitione: *Aliquis Studioſus orat in Templo*; Senſus enim eſt: Vel iſte orat in Templo; vel ille orat in Templo; & ſic de aliis; uſquedum tandem ad unum deveniatur, de quo verum ſit, quòd oret in Templo. Dixi: ſi Propoſitio ſit vera; ſi enim ſit falſa, ùt eſt hæc: *Aliquis homo eſt lapis*; utique Prædicatum non poteſt convenire uni determinatè ex Inferioribus Subjecti; cùm Subjectum nulla ejuſmodi Inferiora habeat, adeóque nec tunc propriè Propoſitio ſupponit Disjunctivè.

114. Suppoſitio Confuſa, ſeu Disjuncta, eſt Uſurpatio Termini Communis pro ſuis Inferioribus Disjunctim, & per Particulam, *Vel*, enumerandis, ita ut ad nullum determinatum deveniri poſſit, in quo Prædicatum abſolutè, & neceſſariò verificetur, ùt cùm dico: *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum*; *Aliquis equus eſt neceſſarius ad equitandum.* Prior Propoſitio de nullo determinato oculo verificatur; non de dextro; quia poſſum videre ſiniſtrô; non de ſiniſtro; quia poſſum videre dextrô. Nec altera de ullo equo determinato verificatur; quia ſi non equito in hoc, poſſum equitare in illo, ac viciſſim, *Suppoſitio Confuſa.*

ſim, & ſic de omnibus; unde nullus eſt determinatè neceſſarius.

Solvuntur Objectiones.

115. OBj. 1. Contra Diviſionem in Suppoſitionem Materialem, & Formalem. Si daretur Suppoſitio Materialis, tunc daretur illa, quando Terminus uſurpatur pro ſe ipſo: ſed Terminus nunquam poteſt uſurpari pro ſe ipſo: Ergo nunquam datur Suppoſitio Materialis. P. Min. Nihil poteſt ſibi ipſi ſubſtitui: Ergo nullus Terminus poteſt pro ſe ipſo uſurpari. P. A. Si aliquid poſſet ſibi ipſi ſubſtitui, tunc etiam poſſet aliquis Rex ſibi ſubſtitui, adeóque poſſet fieri ſuus Pro-Rex: Hoc non poteſt admitti: Ergo.

R. C. Maj. N. Min. ad P. N. A. ad hujus P. D. Maj. ſi poſſet aliquid ſibi ſubſtitui, ſubſtitutione qualicunque, tunc etiam Rex, C. Maj. ſi poſſet aliquid ſibi ſubſtitui tali ſubſtitutione, qua aliquid uſurpatur ad ſignificationem ſui ipſius, N. Maj. & D. Min. hoc non poteſt admitti, ut Rex ſibi ſubſtituatur, ſubſtitutione qualicunque, C. Min. ut ſibi ſubſtituatur tali ſubſtitutione, per quam aliquid uſurpatur pro ſe ipſo, quatenùs vices ſui ipſius implet, N. Min. & C. Nec tamen propterea Rex propriè dicetur ſuus Pro-Rex; nam Pro-Rex explicitè ſignificat Perſonam à Rege diſtinctam. Cæterùm ſubſtituere, ſeu ſupponere hìc, & in ſenſu Philoſophico, idem eſt ad

ac uſurpare, ſeu poni; eſt autem uſitatiſſimum, ut vox dicatur uſurpari, aut poni pro ſeipſa, nimirum quotiescunque accipitur Materialiter; Unde nec mirum videri debet, ſi dicamus, eam ſupponere pro ſe ipſa, ac proin dari Suppoſitionem Materialem.

116. Obj. 2. Contra Suppoſitionem Disjunctivam. Non datur talis Suppoſitio, in qua Terminus Communis uni ex Inferioribus determinato conveniat: Ergo non datur Suppoſitio Disjunctiva. P. A. Talis Suppoſitio daretur v. g. in hac Propoſitione: *Aliquis Studioſus orat in Templo*: Atqui in hac Propoſitione Terminus Communis non convenit alicui ex inferioribus determinato: Ergo. P. Min. Ad veritatem hujus Propoſitionis non requiritur unus determinatè Studioſus, qui oret; ſive enim Petrus oret, ſive Paulus, aut alius quiscunque, tamen æquè vera erit illa Propoſitio: Ergo in illa Propoſitione Prædicatum non verificatur determinatè de uno ex Inferioribus Subjecti; conſequenter Subjectum illud, ſeu Terminus Communis, non convenit uni ex ſuis Inferioribus determinato.

R. N. A. ad P. C. Maj. N. Min. ad hujus P. D. A. ad veritatem hujus Propoſitionis non requiritur unus determinatè Studioſus præ altero, de quo verificetur, quòd oret, & tamen aliquis reipſa datur, & eſt determinatè aſſignabilis, qui oret, C. A. non requiritur aliquis Studioſus præ

alio, qui oret, & nullus reipſa datur, aut eſt determinatè aſſignabilis. N. A. & C. Itaque in Suppoſitione Disjunctiva unum Individuum præ alio non eſt quidem neceſſarium ad verificandam Propoſitionem; Propoſitio tamen Disjunctiva verificatur determinatè potiùs in uno, quàm alio Individuo.

117. Obj. 3. Contra Suppoſitionem Confuſam. Hæc Propoſitio: *Aliquis calamus eſt neceſſarius ad ſcribendum*; non ſupponit confusè: Ergo non datur Suppoſitio Confuſa. P. A. Inter omnia alia ad ſcribendum neceſſaria illa Propoſitio determinatè verificatur in Calamo: Ergo illa non ſupponit confusè, ſed disjunctivè.

R. N. A. Ad P. D. A. Verificatur Propoſitio determinatè in Calamo, ſi Calamus comparetur cum aliis rebus ad ſcribendum neceſſariis, v. g. cum Papyro, Atramento &c. C. A. Si Calamus comparetur cum aliis Calamis ad ſcribendum æquè aptis, N. A. Calamus aliquis utique eſt neceſſarius ad ſcribendum, cùm, ut hìc ponitur, Calamus ſit inſtrumentum, per quod ſcribitur; ſed non potiùs neceſſarius eſt Calamus A. quàm Calamus B. ſuppoſito, quòd plures Calami ad ſcribendum apti habeantur; cùm tunc per unum æquè ſcribi poſſit, ac per alterum, & viciſſim.

118. Obj. 4. Et urgetur argumentum. Etiam facta Calamorum inter ſe com-

comparatione Propoſitio illa ſupponit Disjunctivè : Ergo nulla ſolutio. P. A. Allata Propoſitio habet hunc ſenſum : Vel Calamus A. eſt neceſſarius, vel Calamus B. ſed hæc Propoſitio eſt Disjunctiva: Ergo. P. Min. Si Dico: vel Calamus A. eſt neceſſarius, vel Calamus B. idem eſt, ac ſi dicerem, ſi Calamus A. non datur, determinatè neceſſarius eſt Calamus B. Atqui tunc Suppoſitio manifeſtè eſt Disjunctiva: Ergo.

R. N. A. ad P. C. Maj. N. Min. ad hujus P. C. Maj. D. Min. Tunc Suppoſitio eſt Disjunctiva, ſi loquamur de neceſſitate conditionata, C. Min. Si de neceſſitate abſoluta, N. Min. Itaque omnis quidem Suppoſitio Confuſa, additis certis conditionibûs, tranſire poteſt in Disjunctivam. Exinde tamen non ſequitur, eam, prout jacet, & in ſenſu ſimplici, non eſſe Confuſam.

119. Obj. 5. Si prior Propoſitio: *Aliquis Calamus eſt neceſſarius ad ſcribendum*; ſupponit confusè, tunc etiam confusè ſupponent hæ Propoſitiones: *Aliqua Fides eſt neceſſaria ad Salutem. Aliquis Apoſtolus fuit Proditor. Aliquis Damnatus Lazarum rogat pro gutta aquæ frigidæ. Aliquis Senſus eſt neceſſarius ad videndum*; & reliquæ ejusmodi: Atqui nulla ex his ſupponit confusè: Ergo neque prior. Major non videtur poſſe negari, cùm tam ex parte Prædicati, quàm Subjecti harum poſteriorum Propoſitio-

num cum prima videatur omnimoda convenientia. Min. ergo P. Prima Propoſitio de ſola Fide Catholica verificatur, cùm in ea unica poſſit eſſe Salus. In Secunda Prædicatum verificatur de ſolo Juda, qui Chriſtum prodidit. In Tertia de ſolo Epulone Divite. In Quarta denique de ſolo Viſu: Ergo nulla ex illis Propoſitionibus ſupponit confusè.

R. N. Maj. & paritatem poſteriorum Propoſitionum cum priori. Diſparitas eſt hæc ipſa: Quia in poſterioribus Propoſitionibus poteſt oſtendi illud, de quo determinatè Prædicatum verificatur, quod tamen non poteſt in priori.

PARAGRAPHUS II.

Traduntur Regulæ Suppoſitionum.

120. EQuidem Terminus, ſicut ſignificat, ita etiam ſupponit extra Propoſitionem; quia tamen Scientiæ eam duntaxat Suppoſitionem attendunt, quæ reperitur, dum Terminus actu conſtituit Propoſitionem, ideò non niſi ad hanc poſtremam dignoſcendam ponuntur Regulæ. Sunt autem hæ Regulæ de Suppoſitione Terminorum in Propoſitionibus veris, atque agunt potiſſimùm de Suppoſitione Perſonali. Porro univerſim dici ſolet: Subjectum ſupponit juxta exigentiam Prædicati. Reperitur tamen

men Suppoſitio tum in Subjecto, tum in Prædicato Propoſitionis; ac proin pro utroque Regulæ ſpeciales dantur. Primò Regulas pro Suppoſitione Subjecti trademus. Dein pro Suppoſitione Prædicati.

121. Reg. 1. Subjectum Propoſitionis Univerſalis, quod videlicet eſt Terminus Communis, habens ſibi præfixum Signum Univerſale, *Omnis*, vel æquivalens, ſupponit Diſtributivè, ſi Prædicatum convenit omnibus Inferioribus Subjecti ſeorſim ſumptis; ùt ſi dico: *Omnis homo eſt Animal*; nam Prædicatum, *Animal*, convenit omnibus Inferioribus Subjecti iſtius: *Homo*; cùm omnis Homo, etiam ſeorſim ſumptus, ſit animal. Si verò Prædicatum convenit Inferioribus Subjecti duntaxat ſimul ſumptis, tunc Subjectum ſupponit collectivè, ùt cùm dico: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, ubi Prædicatum non convenit Subjecto, niſi omnia ejus Inferiora ſimul ſumantur, nec enim Apoſtoli ſunt duodecim, niſi ſimul accepti. *Suppoſitio Subjecti Diſtributiva.* *Collectiva.*

122. Reg. 2. Subjectum Propoſitionis Particularis, quod nimirum eſt Terminus Communis, affectus ſignô Particulari, *Aliquis*, vel ſimili, ſupponit Disjunctivè, ſeu Determinatè, ſi Prædicatum verificatur de uno determinatè ex Inferioribus Subjecti; quod tunc fieri cenſemus, ſi Prædicatum ſignificet actionem aliquam, vel exercitium actuale; ùt: *Aliquis oculus videt.* *Disjunctiva.*

det. Aliquis Homo currit. Nam ſi hæ Propoſitiones ponantur eſſe veræ, ad unum determinatum oculum devenietur, qui videat, , ac etiam ad unum determinatum hominem, qui currat. Si verò Prædicatum de uno ex Inferioribus Subjecti tantùm determinatè verificetur, quod fit, ſi Prædicatum ſignificet neceſſitatem Potentiæ ad actum, indigentiam, aut debitum, cui pluribus ſeorſim mediis, & modis ſatis fieri poteſt, Subjectum ſupponit confusè, ſive disjunctim, v. g. *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum.*

Confuſa.

Subjectum Propoſitionis Indefinita in Materia neceſſaria & impoſſibili ſupponit Diſtributivè.

123. Reg. 3. Subjectum Propoſitionis Indefinitæ, ſeu quod eſt Terminus Communis, cui nullum explicitè præfigitur Signum, in Materia Neceſſaria, & Impoſſibili, ſupponit Diſtributivè, & ſubintelligitur Signum, *Omnis*, vel *Nullus*. Sic in utraque hac Propoſitione: *Homo eſt Animal. Homo non eſt Leo.* Subjectum ſupponit Diſtributivè; quia prior eſt in Materia Neceſſaria, habétque hunc ſenſum: Omnis Homo eſt Animal; altera autem eſt in Materia Impoſſibili, & idem ſonat, ac: Nullus Homo eſt Leo; ùt infra patebit, cùm agemus fuſiùs de Propoſitione. Regula hæc ſervari ordinariè etiam ſolet in Materia Fidei, & Juris. Unde ſupponunt Diſtributivè hæ Propoſitiones: *Juſtus ſalvatur. Homicida puniatur.*

In Materia autem contingenti, vel

124. Reg. 4. Subjectum Propoſitionis Indefinitæ, in Materia Contingenti, ſupponit Disjunctivè, ſi Prædicatum conveniat

niat omnibus Inferioribus Subjecti ſeorſim ſumptis; aut Confusè, ſeu Disjunctim, ſi non conveniat, niſi omnibus ſimul ſumptis, juxta ea, quæ ſuperiùs Regulâ ſecundâ diximus, ùt: *Homo currit*, vel: *Oculus eſt neceſſarius ad videndum.* Ratio eſt, quia talis Propoſitio æquivalet Particulari, ſubintelligitúrque Signum, *Aliquis*, aut aliud id genus. Sic in allatis Propoſitionibus ſenſus eſt: Aliquis Homo currit; Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum. Quæ intelligi debent, ſi Propoſitio verè ſit, & maneat Contingens; nam ſi Prædicatum de ſe Contingens facta certa Suppoſitione neceſſariò inſit Subjecto, tunc Propoſitio ſupponit Diſtributivè. Sic Propoſitio hæc: *Homo in gratia decedens ſalvatur*; ex parte Subjecti ſupponit Diſtributivè; quia tametſi æterna gloria reſpectu hominis præcisè ſit contingens; cùm homo poſſit aut ſalvari, aut damnari; tamen reſpectu hominis in gratia decedentis eſt neceſſaria, ſuppoſitô nimirùm promiſſo DEI, quod de facto adeſt, & eſt infallibile. Atque Regulæ huc uſque traditæ, ſunt de Suppoſitione Subjecti; ſequentes autem agunt de Suppoſitione Prædicati.

Disjunctivè vel Confusè pro ratione Prædicati.

125. Reg. 5. Prædicatum Propoſitionis Affirmativæ, tum Univerſalis tum Particularis, in Creatis ordinariè ſupponit Disjunctivè. Hæc Regula eſt contra Philippum du Trieu Tract. 2. parte 3. c. 2. a. 4. & Fonſecam L. 8. c. 31. qui docent,

Suppoſitio Prædicati Disjunctiva.

Prædicatum Propoſitionis Affirmativæ ſupponere disjunctim, ſeu confusè. P. autem noſtra Regula ex Haunoldo P. 1. c. 1. a. 5. n. 27. Suppoſitio eſt Disjunctiva, quando per Disjunctionem poteſt deveniri ad unum ex Inferioribus determinatum, de quo verificetur Propoſitio: Sed in Propoſitione Affirmativa tum Univerſali, tum Particulari, ex parte Prædicati, poteſt deveniri ad unum ex Inferioribus determinatum, de quo verificetur Propoſitio: Ergo in Propoſitione Affirmativa ex parte Prædicati Suppoſitio eſt Disjunctiva. Minor eſt clara in hac Propoſitione: *Petrus eſt Logicus*; poſſum enim ex parte Prædicati per Disjunctionem devenire ad aliquem Logicum determinatum, de quo verificetur Propoſitio. Perinde eſt, ſi dico: *Omnis homo eſt Animal*; poſſum enim itidem per Disjunctionem, ex parte Prædicati, devenire ad aliquod Animal determinatum, nimirum ad Rationale, de quo verificetur Propoſitio. Confirmatur eadem Regula. Allata mox Propoſitio: *Omnis homo eſt Animal*, debet converti per iſtam: *Aliquod Animal eſt homo*, ùt videbimus infra, quando agemus de Converſione: Atqui in Propoſitione Convertente, ſeu poſtrema, Animal ſupponit Disjunctivè: Ergo etiam in Converſa, ſeu priore. Conſequentia eſt certa; nam Termini eodem modò ſupponere debent in Propoſitione Convertente, & Converſa,

juxta

juxta Leges bonæ Converſionis, itidem infra afferendas.

126. Dixi tamen inprimis: *In Creatis*; nam aliter ſe res habet in Divinis, ubi Prædicatum Propoſitionis Affirmativæ poteſt ſupponere Diſtributivè. Tum dixi: *Ordinariè*; quia ſicubi Prædicatum de nullo determinatè verificetur, ſupponit Confusè, ùt patet itidem in Propoſitione Convertente ex Converſa, cujus Subjectum ſupponit Confusè, ùt ſi dico: *Aliquis Calamus eſt neceſſarius ad ſcribendum*. Convertens erit hæc: *Ergo neceſſarius ad ſcribendum eſt aliquis Calamus*, ſive: Aliquod neceſſarium ad ſcribendum eſt aliquis Calamus. Ubi, *Calamus*, quod eſt Prædicatum, in hac poſtrema Propoſitione ſupponit Confusè; quia in priore, ſeu Converſa, ubi erat Subjectum, ſupponebat itidem Confusè. Similiter limitanda eſt Regula in caſu, quo Prædicatum eſt Terminus Singularis, ùt in hac Propoſitione: *Aliquis Canis eſt Lyciſca*; nam tunc datur Suppoſitio Singularis. Denique, ùt volunt aliqui, ſi in Propoſitione Affirmativa Subjectum non poteſt intelligi, convenire pluribus ex parte Prædicati importatis, niſi ſimul ſumantur, Prædicatum ſupponit Collectivè, ùt in hac Propoſitione: *Petrus*, *& Paulus*, *& Jacobus*, *& Joannes*, & ſic de cæteris, *ſunt omnes Apoſtoli*. Vel etiam in hac: *Omnia Elementa ſunt quatuor*.

Exceptiones ab hac Regula.

127. Reg. 6. Prædicatum Propoſi- *Suppoſitio*

Prædicati Diſtributiva.

tionis Negativæ, itidem tum Univerſali tum Particularis, ſupponit Diſtributi... Ratio eſt, quia Particula, *Non*, eſt m...ſignantis naturæ, ùt loquuntur, & negat, quidquid poſt ſe reperit. Unde ſenſus hujus Propoſitionis: *Homo non eſt brutum*; eſt iſte: Non datur identitas inter hominem, & nullum ex omnibus brutis; nec hoc videlicet, nec illud, & ſic deinceps. Excipienda tamen rurſus eſt Propoſitio Negativa, in qua ex parte Prædicati adeſt Terminus, qui ſignificat Individuum, aut Collectionem; tunc enim Propoſitio ex parte Prædicati ſupponet Singulariter, aut Collectivè, ùt paulò antè de Propoſitione Affirmativa eſt explicatum.

Solvuntur Objectiones.

128. OBj. 1. Contra primam Regulam: In hac Propoſitione: *Omne Animal fuit in Arca Noë*; Prædicatum convenit omnibus Inferioribus Subjecti ſeorſim ſumptis, nec tamen Subjectum ſupponit Diſtributivè: Ergo prima Regula non ſubſiſtit. P. A. Verum eſt dicere: Et Leo, & Equus, & Elephas, & ſic de omni Animali, fuit in Arca Noë; non tamen univerſim, & de ſingulis Individuis verum eſt dicere: Hoc Individuum Leonis, hoc Individuum Equi, aut hoc Individuum Elephantis fuit in Arca Noë, quia v. g. Bucephalus Equus non fuit in Arca

Arca Noë: Ergo licèt Prædicatum conveniat omnibus Inferioribus Subjecti ſeorſim ſumptis, Subjectum tamen non ſupponit Diſtributivè.

R. D. Antecedentis primum membrum: In illa Propoſitione Prædicatum convenit omnibus Inferioribus Subjecti, ſi per Inferiora intelligantur Species ſub illo genere, *Animal*, contentæ, C. ſi intelligantur ſingula Individua ſub Speciebus contenta, N. hoc membrum; & D. etiam alterum. Nec tamen Subjectum ſupponit Diſtributivè pro ſingulis Individuis, ſub Specie contentis, C. pro ſingulis Speciebus ſub illo Genere contentis. N. iſtud membrum, & conſequentiam.

129. Obj. 2. Contra ſecundam Reg. Subjectum iſtius Propoſitionis: *Aliquis oculus videt*; ſupponit Disjunctivè, juxta dicta loc. cit. Ergo etiam Subjectum iſtius: *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum*; ſupponit Disjunctivè, non verò Confusè, contra quàm ibidem aſſeritur. P. Conſeq. Subjectum utrobique eſt idem: Ergo ſi in una ex his Propoſitionibus Subjectum ſupponit Disjunctivè, etiam in altera.

R. C. A. N. Conſeq. Ad P. Dico, quòd Subjectum ſit quidem utrobique idem; non verò Prædicatum. Ex mutatione autem Prædicati fit, ut Subjectum in prima Propoſitione verificetur de uno determinatè; unde ea ſupponit Disjunctivè: in altera verò idem Subjectum verificetur

de

de altero indeterminatè; unde hæc ſupponit Confusè.

130. Obj. 3. Si hæc Propoſitio: *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum*; ſupponit Confusè; etiam iſta ſupponit Confusè: *Aliquis calamus eſt neceſſarius ad ſcribendum*; cùm ſint quoad Subjectum, Prædicatum, ac etiam Copulam pares: Atqui hæc poſtrema non ſupponit Confusè, ſed ſupponit Disjunctive: Ergo etiam prior non ſupponit Confusè, ſed ſupponit Disjunctivè. P. Min. Aliquis Determinatus calamus eſt neceſſarius ad ſcribendum: Ergo hæc poſtrema ſupponit Disjunctivè. P. A. Per calamum determinatè ſumptum ſcribo: Ergo aliquis calamus determinatè ſumptus eſt neceſſarius ad ſcribendum: per illum enim ſcribo, qui eſt neceſſarius.

R. C. Maj. N. Min. Ad Probationem N. A. Ad hujus P. C. A. N. Conſequentiam. Rationem additam D. per illum calamum ſcribo, qui eſt determinatè neceſſarius, N. qui eſt indeterminatè neceſſarius. C. Scribo quidem per calamum determinatè ſumptum, ſed non determinatè neceſſarium; poſſem enim per alium ſcribere.

131. Dices. Eô modô eſt neceſſarius calamus ad ſcribendum, quo modo exiſtere poteſt ſcriptio; Sed ſcriptio non poteſt exiſtere, niſi dependenter à calamo aliquo determinatè ſumpto: Ergo calamus determinatè ſumptus eſt neceſſarius.

R.

Digitized by Google

R. N. Maj. Scriptio enim denotat actum aliquem, qui procedere non poteſt niſi à determinato inſtrumento; econtra verò neceſſitas inſtrumenti, ſufficientis ad actum ſcribendi, non poteſt denotare inſtrumentum determinatum; cùm plura ad eum actum apta inſtrumenta dentur.

132. Obj. 4. Si nullus determinatè oculus verificat hanc Propoſitionem: *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum*; tunc Propoſitio verificatur per aliquid impoſſibile: Hoc non poteſt admitti: Ergo. P. Maj. Si nullus determinatè oculus verificat illam Propoſitionem, tunc illam verificat oculus indeterminatus: Sed oculus indeterminatus eſt aliquid impoſſibile; cùm nihil exiſtere valeat, quod non ſit determinatum, ùt, v. g. non valet exiſtere homo, qui nec ſit Petrus, nec Paulus, nec alius homo: Ergo.

R. N. Maj. Ad P. D. Maj. Tunc illam verificat oculus indeterminatus indeterminatione Objectiva, C. indeterminatione Subjectiva, N. Maj. & D. Min. Sed oculus indeterminatus indeterminatione Subjectiva eſt aliquid impoſſibile, C. oculus indeterminatus indeterminatione Objectiva eſt aliquid impoſſibile, N. Min. & C. Oculus indeterminatus indeterminatione Subjectiva foret, qui non eſſet ens determinatum; ùt dictum eſt ſuperiùs de illo homine, qui nec eſſet Petrus, nec Paulus, nec alius homo; & iſte eſt impoſſibilis. Oculus

lus autem indeterminatus indeterminatione Objectiva eſt oculus cognitus cognitione tendente Indeterminatè; quia cognitio eſt poſſibilis; ùt cùm dico: *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum*; hæc enim tendit confusè, & nullum oculum determinat, licèt omnis oculus in ſe, & à parte rei, ſit determinatus.

133. Obj. 5. Ponamus caſum, quo Petrus debet Paulo aureum, illique duos prorſus ſimiles aureos porrigit eô animô, ut uno ſolvat debitum; alterum autem donet; non tamen determinando, quis aureus ſolvat. In hoc caſu Subjectum hujus Propoſitionis: *Aliquis aureus ſolvit*; non ſupponit Disjunctivè; quia in nullo aureo determinatè ſumpto verificatur ſolutio; neque ſupponit Disjunctim, vel Confusè, ſeu, ut in nullo aureo verificetur; aliàs non expungeretur debitum; quod dici non poteſt. Ergo Regulæ noſtræ de Suppoſitione non procedunt.

R. Vel ad expunctionem debiti requiritur, ut ea fiat per aureum determinatè ſumptum; vel id non requiritur? Si Secundum; tunc Propoſitio poteſt ſupponere Disjunctim, ſeu Confusè, & Objectio non ſtringit; ſolvitur enim debitum. Si Primum; poteſt dici, quòd DEUS faciat hanc determinationem, & tunc Subjectum illius Propoſitionis ſupponet Disjunctivè.

134. Obj. 6. Contra Regulas de Suppoſitione Prædicati. Prædicatum hujus Pro-

Propoſitionis: *Omnis homo eſt omnis homo;* ſupponit Diſtributivè: Ergo Prædicatum Propoſitionis Affirmativæ non ſupponit Disjunctivè, quod tamen ſuperiùs Reg. 5. dictum eſt.

R. N. A. Si enim Propoſitio ponatur eſſe vera; hunc duntaxat ſenſum habere poteſt: *Omnis homo collectivè ſumptus, eſt omnis homo collectivè ſumptus;* quo ſenſu Prædicatum habet Suppoſitionem Disjunctivam; cùm verificetur in Collectione hominum, quæ utique eſt determinata. Duplex adhuc eidem Propoſitioni ſenſus aſſignari poſſet; nimirum ut vel ſic exponatur: *Omnis homo diſtributivè ſumptus eſt omnis homo collectivè ſumptus;* Vel ſic: *Omnis homo diſtributivè ſumptus, eſt omnis homo diſtributivè ſumptus.* Sed in utroque hoc ſenſu Propoſitio eſſet falſa; nam juxta primum, Petrus e.g. eſſet tota Collectio hominum; juxta Poſteriorem autem, idem Petrus eſſet ſimul Paulus, Joannes, & alius quivis homo; quod utrumque repugnat.

135. Dices. Hæc Propoſitio: *Omnis homo diſtributivè ſumptus, eſt omnis homo diſtributivè ſumptus*, eſt Identica: Ergo non eſt falſa. P. A. Propoſitio Identica eſt, quæ habet idem Subjectum, & idem Prædicatum: Sed ea habet idem Subjectum, & idem Prædicatum: Ergo eſt Identica.

R. N. A. Ad P. D. Maj. Propoſitio Identica eſt, quæ habet idem Subjectum,

&

& idem Prædicatum Verificationis, C. quæ habet idem Subjectum, & idem Prædicatum duntaxat Repræſentationis, N. Maj. & D. Min. Sed ea Propoſitio habet idem Subjectum, & idem Prædicatum Repræſentationis, C. Min. Habet idem Subjectum, & idem Prædicatum Verificationis. N. Min. & C. Subjectum, & Prædicatum Repræſentationis eſt id, quod Propoſitio ex parte Subjecti, & Prædicati repræſentat; & hoc in allata Propoſitione eſt idem. Subjectum verò, & Prædicatum Verificationis eſt id, quod verificat Propoſitionem, ſeu cujus cum altero identitas, vel diſtinctio requiritur ad hoc, ut Propoſitio ſit vera; & hoc in allata Propoſitione non eſt idem, ut patet ex dictis n. ſup.

136. Obj. 7. Si hæc Propoſitio: *Omnis homo eſt animal*; ex parte Prædicati ſupponit Disjunctivè, ſequitur, omnem hominem eſſe unum, ac determinatum animal: Sed hoc eſt falſum: Ergo & id unde ſequitur.

R. 1. Diſt. ſequelam Majoris. Sequitur, omnem hominem eſſe unum, ac determinatum animal, accipiendi, *Animal*, pro Genere Singulorum, C. Seq. Accipiendo, *Animal*, pro Singulis Generis, ſeu pro omnibus Individuis ſub eo Genere contentis, N. Seq. Maj. ac ſic diſtincta Min. N. C. Nam etſi falſum ſit, totam Collectionem hominum eſſe unum Individuum Animalis; verum attamen eſt, totam Collectio-

lectionem eſſe unam determinatam Speciem Animalis.

R. 2. D. Aliter Seq. Maj. ſequitur, omnem hominem, Diſtributivè acceptum, eſſe unum determinatum Individuum Animalis, C. Seq. Maj. Sequitur, omnem hominem, Collectivè acceptum, eſſe unum Individuum Animalis, N. Seq. Maj. & ſic iterum diſtincta Min. N. C. Eſt enim veriſſimum, omnem hominem, ſeu ſingulos homines, ſeorſim ſpectatos, eſſe unum aliquod determinatum Individuum Animalis; licèt id verum non ſit, ſi omnes homines ſumantur ſimul. Atque hæc poſterior Reſponſio ferè cum priore coincidit.

137. Obj. 8. Prædicatum hujus Propoſitionis: *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum*; non ſupponit Disjunctivè, ſed Disjunctim, ac Confusè; quod rurſum eſt contra Reg. 5. P. A. Non poteſt deveniri ad oculum, qui ſit determinatè Neceſſarius ad videndum: Ergo Prædicatum hoc: *Neceſſarius*, ſupponit Disjunctim, ac Confusè.

R. D. A. Prædicatum illius Propoſitionis ſupponit Disjunctim, ac Confusè, ſi ſumatur Specificativè, C. ſi ſumatur Reduplicativè, N. Prædicatum: *Neceſſarius*, eſt Concretum; unde in ſe continet Subjectum, ac Formam; Subjectum eſt: *Oculus*; Forma eſt: *Neceſſitas*. Jam ſi, *Neceſſarius*, appellet ad Oculum; quo ſenſu ſumitur Specificativè; equidem ſupponet Disjunctim; cùm nullus oculus oſtendi poſſit,

qui ſit determinatè neceſſarius ad videndum, ùt dictum eſt. Si verò appellet ad Neceſſitatem, qua ratione accipitur Reduplicativè, ſupponet Disjunctivè; quia per illud vocabulum oſtenditur determinata Neceſſitas ad videndum. Prædicatum autem illius Propoſitionis ferè accipitur Reduplicativè, per illum enim primariò oſtenditur Neceſſitas ad videndum, non verò ipſe Oculus; cùm hic in Subjecto jam fuerit indicatus. Cæterùm jam dictum eſt ſuperiùs, quòd ſi in aliquo caſu Prædicatum Propoſitionis Affirmativæ non verificetur de aliquo ex Inferioribus determinato, tunc ſupponat Confusè.

138. Obj. 9. In hac Propoſitione: *Divina eſſentia eſt omnis Divina Perſona*; Prædicatum ſupponit Diſtributivè; poſſum enim dicere: Eſſentia Divina eſt & hæc Perſona Divina, nempe Pater, & eſt iſta Perſona Divina, nempe Filius, & eſt illa, nempe Spiritus Sanctus: Ergo necdum procedit noſtra Regula.

R. C. A. D. Conſ. nòn procedit in rebus Creatis, N. in Divinis, C. Conſequentiam. Noſtra Regula, ùt jam in ipſamet notavimus, limitata eſt ad Creata. Similiter reſponderi poteſt, quando objicitur hæc Propoſitio affirmativa: *Eſſentia Divina, vel etiam omnis Perſona Divina, eſt omnis abſoluta Perfectio Divina:* ubi iterum Prædicatum ſupponit Diſtributivè; poſſum enim dicere: Omnis Perſona Divina

vina eſt Juſtitia, eſt Immenſitas, eſt Æternitas, & ſic deinceps. Poteſt etiam Reſponderi 2. D. A. Prædicatum illius Propoſitionis ſupponit Diſtributivè, Diſtributione formali, & Metaphyſica, tranſeat A. Diſtributione propriè Phyſica, & Reali, N. A. Diſtributio propriè Realis tunc datur, quando Terminus Communis accipitur pro omnibus ſuis Inferioribus realiter inter ſe diſtinctis, & in iis etiam multiplicatur; quemadmodùm ad Terminum Communem hoc requiritur, & de hac ſola diſtributione hìc agitur. Formalis, & Metaphyſica Diſtributio eſt, quando Inferiora non ſunt realiter plura, nec diſtincta inter ſe realiter, ſed tantùm formaliter, ac per intellectum; aut certè in quibus, licèt ſint realiter diſtincta, tamen Terminus Communis non multiplicatur; ùt fit in Perſonis Divinis, in quibus, licèt realiter ſint tres, tamen non multiplicatur eſſentia Divina, ſed eſt tantùm una. Atque hæc dicta etiam obſervanda ſunt circa hanc Propoſitionem: *Petrus eſt omnia ſua prædicata;* ac alias id genus.

139. Obj. ult. Saltem in Propoſitionibus Affirmativis Infinitantibus, uti in hac: *Petrus eſt non Leo*, Prædicatum ſupponit Diſtributivè: Ergo.

R. D. A. Prædicatum in illa, & ſimilibus Propoſitionibus ſupponit Diſtributivè ſecundùm id, quod Propoſitio dicit in Obliquo, C. A. ſecundùm id, quod illa dicit in Recto, N. A. & C. Senſus Propo-

ſitionis eſt; Petrus eſt quid diſtinctum ab omni Leone, adeóque Propoſitio ſic debet exponi: Petrus eſt vel hoc diſtinctum, vel eſt illud diſtinctum; & ſic cætera percurrendo, & ab hoc Leone, & ab illo Leone; & ſic in aliis. Ubi vides, quòd Subjectum illius Propoſitionis ſecundùm id, quod dicit in Recto, ſeu ſecundùm Diſtinctum, ſupponat Disjunctivè; quamvis ſecundùm id, quod dicit in Obliquo, ſeu & ab hoc Leone, & ab illo Leone &c. ſupponat Diſtributivè. Unde noſtra Regula procedit etiam in Propoſitionibus Infinitantibus.

PARAGRAPHUS III.

De Aſcenſu, & Deſcenſu Terminorum.

Definitio Aſcenſûs;

140. EXplicationi Suppoſitionum ſubnectitur explicatio Aſcenſûs, & Deſcenſûs Terminorum, qui præter Regulas hucuſque allatas multùm paſſim conferre poteſt ad dignoſcendum, qua ratione quisque Terminus in Propoſitione ſupponat. Eſt autem Aſcenſus, juxta Toletum L. 2. c. 4. à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad Univerſale Progreſſio; ùt: *Hic ignis eſt calidus; & iſte ignis eſt calidus; & ille ignis eſt calidus;* & in cæteris ſimili modô: *Ergo omnis ignis eſt calidus.* Deſcenſus verò juxta eundem Auth. locô cit. eſt ab Univerſali ad Singularia Pro-

Et deſcenſûs.

Progreſſio. Vel; juxta Oviedo, Controv. 1. Punct. 6. N. 1. Deſcenſus eſt Argumentatio ab Univerſali ad Singularia ſub illo contenta; ùt: *Omnis ignis eſt calidus: Ergo iſte ignis eſt calidus: ille ignis eſt calidus;* & ſic de cæteris.

141. Quadruplex eſt Aſcenſus, ac viciſſim quadruplex etiam Deſcenſus; videlicet juxta quatuor Suppoſitionis Perſonalis genera. Hi autem ſunt Copulativus, Copulatus, Disjunctivus, & Disjunctus. *Uterque eſt quadruplex.* Aſcenſus Copulativus reſpondet Termino ſupponenti Copulativè, ſeu Diſtributivè; ùt in allato mox exemplo: *Hic ignis eſt calidus; iſte ignis eſt calidus; ille ignis eſt calidus;* Sicque percurrendo ſingulos ignes: *Ergo omnis ignis eſt calidus.* *Copulativus.* In hoc Aſcenſu enumerari omnia Inferiora oportet, & de illis Singulis verificari Propoſitio debet; nam ſi vel una Singularis ſit falsa, etiam falſa erit Univerſalis. In Deſcenſu, qui huic Aſcenſui correſpondet, etſi omnia Singularia poſſint enumerari, id tamen non neceſſariò accidit; poſita enim hac Propoſitione: *Omnis ignis calefacit*, poſſumus ad unum, aut alterum ex Inferioribus deſcendere; ùt: *Ergo hic ignis calefacit.* Atque Illatio hæc erit legitima, licet de aliis Individuis, in illa Univerſali contentis, non fiat mentio.

142. Aſcenſus Copulatus reſpondet Termino ſupponenti Copulatim, ſeu Collectivè; fitque à Singularibus, nullo dempto, & ſimul ſumptis; ùt in hac Illatione: *Copulatus.*

Hic Apoſtolus, & hic Apoſtolus, ſicque reliquos denotando, *ſunt duodecim: Ergo omnes Apoſtoli ſunt duodecim.* Deſcenſus verò fit à Termino Communi ad omnia Singularia, pariter Copulatim, & ſimul ſumpta, nullo prætermiſſo; aliàs Conſequens foret falſum hôc pactô: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim: Ergo & hic Apoſtolus, & hic Apoſtolus*; & ſic deinceps, videlicet ſimul ſumpti; *ſunt duodecim.*

Disjunctivus. 143. Aſcenſus Disjunctivus æquivalet Termino Particulari Disjunctivè ſupponenti. Hic non fit neceſſariò ab omnibus Particularibus; ſed fieri poteſt vel ab omnibus, vel ab aliquibus, vel etiam ab uno tantùm; dummodò de illo verificetur Prædicatum, quod inferri debet. Sic bona eſt hæc Illatio: *Hic homo currit; Et iſte homo currit: Ergo aliquis homo currit.* In Deſcenſu, huic Aſcenſui oppoſito, recenſenda ſunt omnia Singularia, ut teneat Conſequentia; Si enim e. g. exiſtant tres homines, & quis ſic ratiocinetur: *Aliquis Homo currit: Ergo vel iſte currit*; nimirum Primus: *Vel ille currit*; nimirum ſecundus; tertium verò prætermittat, falſum erit Conſequens, ſi tertius ſit, qui currat.

Disjunctus. 144. Aſcenſus Disjunctus reſpondet Termino ſupponenti Confusè, & fit à Singularibus Disjunctim ſumptis, e. g. *Vel hic equus, vel ille equus*; Et ſic de cæteris; *requiritur ad equitandum: Ergo aliquis equus requiritur ad equitandum.* In

hoc

hoc Aſcenſu recenſenda ſunt omnia Singularia, ut Antecedens ſit verum. Quod ſi verum ponatur Antecedens, etiam non recenſitis omnibûs Singularibus, Conſequentia erit legitima. In Deſcenſu, huic Aſcenſui reſpondente, recenſeri pariter debent omnia Singularia in Conſequente; ex hac enim Propoſitione: *Aliquis equus requiritur ad equitandum;* deduci hæc Concluſio, ut vera ſit, debet: *Ergo vel hic equus; vel ille equus;* & ſic percurrendo cæteros equos, *eſt neceſſarius;* ac ſi vel unus equus omittatur. Conſequens itidem erit falſum; nam uno hoc exiſtente, in quo quis equitare poſſit, nullus ex reliquis erit neceſſarius.

PARAGRAPHUS IV.

De Statu, Ampliatione, Reſtrictione, Dimunitione, Alienatione, Appellatione.

145. EQuidem paſſim Termini ſupponunt pro rebus, pro tempore per Copulam importato, exiſtentibus; ſubinde tamen accidit, ut pro alio tempore ſupponant; quod proin modò eſt explicandum. Itaque, cùm ſit acceptio Termini pro tempore, per Copulam importato, dicitur dari Status; ùt cùm dico: *Petrus eſt doctus;* ſenſus enim eſt: Petrus exiſtit de præſenti, & Doctrina exiſtit de *Status.*

præſenti, & hæc itidem de præſenti juncta eſt Petro.

Ampliatio. 146. Statui opponitur Ampliatio, quæ eſt Acceptio Termini pro alio tempore, quam per Copulam importato; vel, ùt etiam cum Toleto L. 2. c. 8. dicunt: Ampliatio eſt Extenſio Termini à minori ad majorem Suppoſitionem. Triplex eſſe poteſt Ampliatio. 1. Secundùm tempus, ùt in illo: *Cæci vident*; Senſus enim eſt: *Qui fuerunt cæci, nunc vident.* 2. Secundùm Suppoſita; ſcilicet, cùm Terminus eſt Communis, & ſupponit pro ſuis Inferioribus, ùt: *Juſtus ſalvabitur. Juſtus*, ampliatur ad omnes Juſtos, quocunque tempore exiſtentes, qui etiam dicuntur Suppoſita hujus Termini. 3. Secundùm Formam, ùt in hac Propoſitione: *Album eſt nigrum*; Senſus enim eſt: Id, quod pro ſua Forma habuit Albedinem, nunc pro ſua itidem Forma habet Nigredinem. Hurtadus Diſp. 2. Sect. 7. §. 34. Ampliationem aliter explicat; ac iſta, juxta eum Authorem, fit, quando Termini Propoſitionis ſignificant res incompoſſibiles, pro tempore per Copulam importato, ùt accidit in his Propoſitionibus: *Juſtus peccavit: Stantes ſedent*: &: *Vigilans dormit*. Eſt enim impoſſibilis in eodem homine, ac pro eodem tempore, Juſtitia cum peccato, Statio cum ſeſſione, & Vigilia cum ſomno. Sed hæc Explicatio ferè coincidit cum ea, quæ mox data eſt de Ampliatione ſecundùm tempus.

147.

Digitized by Google

147. In Ampliatione, utiliter fieri Argumentatio poteſt, ſequè habet Terminus Amplus ad Non amplum, ſicut Terminus Superior ad Inferiorem. Duplex autem eſſe poteſt in Ampliatione Argumentandi Modus. Primus eſt, à Termino Amplô ad Non amplum; isque Affirmativus, vel Negativus; ſicut enim à Superiori diſtributo ad Inferiorem rectè infertur: ***Omne animal currit: Ergo homo currit.*** Vel: ***Nullum animal currit: Ergo homo non currit.*** Sic etiam à Termino Amplo diſtributo ad Non amplum rectè argumentamur; ùt: ***Omnis homo poteſt diſputare: Ergo homo, qui eſt, poteſt diſputare.*** Vel: ***Nullus homo poteſt eſſe lapis: Ergo nullus homo eſt lapis.*** In hac autem Argumentatione debet poni Conſtantia, ùt vocant, Termini Non ampli; ſeu debet ejus exiſtentia aſſeri; aliàs Conſequens poterit eſſe falſum. Sic, ſi nullus homo exiſteret, verum eſſet iſtud Antecedens: ***Omnis homo poteſt diſputare;*** cùm ſupponat Ampliativè, pro omnibus hominibus poſſibilibus; & tamen falſum eſſet Conſequens: ***Ergo homo, qui eſt, poteſt diſputare;*** cùm nullus homo, ùt ponitur, exiſteret. Secundus in Ampliatione argumentandi Modus, Affirmativè itidem, aut Negativè, eſt à Termino Non amplo ad Amplum; ſicut eo rurſum modô argumentari poſſumus ab Inferiori ad Superiorem. Sic valent hæ Argumentationes ab Inferiori ad Superiorem: ***Homo currit: Ergo aliquod animal currit.*** Vel:

Modi Argumentandi in Ampliatione.

Vel: *Homo non currit: Ergò aliquod animal non currit.* Ac proin hæ quoque valent, à Termino Non amplo ad Amplum; videlicet Particulariter ſumptum, & ſervatâ, ùt priùs, Conſtantiâ Termini Non ampli: *Homo diſputat: Ergo aliquis homo poteſt diſputare:* Ac etiam: *Homo, qui eſt, non poteſt diſputare: Ergo aliquis homo non poteſt diſputare.*

Reſtrictio. 148. Reſtrictio eſt Contractio Termini à majore ſignificatione ad minorem; ùt cùm dico: *Homo ſapiens æſtimatur. Homo,* quod aliàs omnes homines ſignificat, contrahitur ad ſignificandos ſolos Sapientes. Poteſt autem fieri Reſtrictio 5. Modis 1. Per Additionem Casûs Obliqui: ùt: *Philoſophia Ariſtotelis eſt præſtans.* 2. Per Aliquod Adjectivum appoſitum; ùt: *Homo juſtus placet Deo.* 3. Per Appoſitionem Subſtantivi minùs communis; ùt: *Urbs Roma eſt celebris.* 4. Per Additionem Adverbii; ùt: *Homo diligenter ſtudens fit doctus.* 5. Per Interpoſitionem Orationis, ſeu Conſtructionis; ùt: *Homo, qui in gratia decedit, ſalvabitur.*

Modi argumentandi in Reſtrictione. 149. Advertendum, ait P. Arriaga hìc Diſp. 1. ſect. 8. n. 43. bene argui Affirmativè, à Termino Non reſtricto ad Reſtrictum, ùt: *Omnis homo moritur: Ergo Sapiens moritur; & Fortis moritur;* & ſic deinceps. Non verò à Termino Reſtricto ad Non reſtrictum; nec enim bene concluditur: *Homo fortis pugnat: Ergo omnis homo pugnat.* Negativè autem be-

ne

ne arguitur à Termino Reſtricto ad Non reſtrictum, ùt: *Homo fortis non diſputat: Ergo non omnis homo diſputat.* Non autem viciſſim, à Termino Non reſtricto ad Reſtrictum; ùt: *Non omnis homo pugnat: Ergo homo fortis non pugnat;* poteſt enim homo fortis pugnare, non pugnantibûs aliis.

150. Diminutio eſt Additio alicujus Dictionis, qua Terminus ex ſe abſolutè ſupponens, ſupponat ſecundùm quid. Sive, tunc fit Diminutio, quando Prædicatum, ratione alicujus Adjuncti, non poteſt ſimpliciter tribui Subjecto, ſed tantùm ſecundùm quid, ſeu ſecundùm partem, ùt: *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes.* Alienatio verò eſt Translatio Termini à propria ſignificatione ad impropriam, ùt: *Leo lapideus; Homo pictus.* Vel; ùt etiam definiunt: Alienatio eſt uſurpatio Termini in ſignificatione translata, ùt ſi dicimus, *Vites lacrymari.* In Terminis Alienatis non valet Conſequentia ab uno in alium; ùt: *Eſt Leo marmoreus: Ergo eſt Leo;* quia Leo abſolutè dictus, ut in hoc exemplo maneamus, ſupponit pro Leone vero, & animali; non itidem Leo marmoreus. Suntque hi Termini omnino inter ſe Diſparati; unde nec viciſſim dici poteſt: *Eſt Leo: Ergo eſt marmoreus.* *Diminutio.* *Alienatio.*

151. Appellatio denique habetur ſpecies quædam Reſtrictionis; & eſt Applicatio ſignificati Formalis unius Termini ad ſignificatum alterius; ùt: *Ariſtoteles* *Appellatio.*

eſt

Digitized by Google

eſt magnus Philoſophus; *Magnus*, appellat ad, *Philoſophum*; Nam Ariſtoteles dicitur magnus propter Philoſophiam, non propter aliud, v. g. propter ſtaturam corporis, aut propter divitias. Terminus, qui applicatur, dicitur Appellans, ùt in allato exemplo, *Magnus*; Terminus verò, cui alter applicatur, dicitur Appellatus; ùt in eodem exemplo, *Philoſophus*.

Alia eſt Materialis. Appellatio duplex eſt: Materialis, & Formalis. Appellatio Materialis dicitur, quando Terminus Appellans denotat ſignificatum duntaxat Materiale Termini Appellati; ùt ſi dico: *Muſicus eſt Philoſophus*; quia, reſpectu Philoſophiæ, ſe habet prorſus materialiter, quòd homo, in quo ea eſt, tanquam in Subjecto, ſit etiam Muſicus.

Alia Formalis. Formalis eſt, quando Terminus Appellans denotat formale ſignificatum Termini Appellati; ùt: *Petrus eſt bonus Philoſophus*; ubi Adjectivum, *Bonus*, appellat formaliter ad *Petrum*; quem videlicet bonum dicit propter Philoſophiam, quæ ei, veluti Forma, ineſt, propter quam bonus dicitur, ut ſenſus ſit: *Petrus eſt peritus Philoſophia.* Cæterùm ad quid, aut qua ratione Terminus appellet, ſæpe ab intentione loquentis dependet, ac, ùt ait Arriaga hic Diſp. 1. Sect. 9. n. 75. ex tono proferentis, & ex aliis circumſtantiis eſt dignoſcendum.

AR-

ARTICULUS IV.

De Definitione.

152. IGitur aggredimur hìc Modos ſciendi immediatiùs pertractare. Eſt autem Modus ſciendi in genere: Oratio ignoti manifeſtativa per id, quod eſt notius. Ponitur triplex; ſcilicet Definitio, Diviſio, & Argumentatio. Cùm enim tria potiſſimùm ſint, quæ intellectus humanus circa rem quamlibet ignorare ſolet, nimirum quid ſit res, ſeu quænam ſit ejus eſſentia, tum quibûs conſtet partibus, ac denique, quas habeat proprietates. Triplici illi ignorantiæ ſubvenitur per modos ſciendi, ac porro primæ per Definitionem, alteri per Diviſionem, ac poſtremæ per Argumentationem. Ex quo ipſo patet, quantæ triplex hic Modus ſciendi ſit non tantùm utilitatis, ſed etiam neceſſitatis. Argumentationi tertia Quæſtio reſervatur.

Quid, & Quotuplex ſit Modus Sciendi?

153. Jam verò Definitio, & Diviſio, ſi conjungantur cum Definito, & Diviſo, & de iis prædicentur, equidem efficiunt Propoſitionem, ùt advertit Caſilius L. 1. c. 14. Si tamen ſolitariè ſumantur, & præcisè ùt ſunt Definitio, & Diviſio, tunc ſunt videlicet Oratio, ſive Terminus Complexus; quamobrem ad expoſitionem Terminorum reducuntur. Itaque de

iis

Digitized by Google

iis hìc agendum. Agemus verò primùm de Definitione, tum de Diviſione. De Definitione porro dicendum, quid, & quotuplex ea ſit; ſubinde ejus Regulæ aſferendæ.

PARAGRAPHUS I.

Quid, & Quotuplex ſit Definitio?

Definitur Definitio.

154. DEfinitio à Philoſopho L. 1. Top. c. 4. dicitur eſſe Oratio explicans, quod quid erat eſſe rei. Clariùs ab Arriaga Diſp. 3. Sect. 1. n. 1. ac ab aliis paſſim, dicitur eſſe Oratio explicans naturam rei; ſive, ùt quidam loquuntur, Eſſentiam, & Quidditatem rei.

Quid dicatur Definitum? Quid verò propriè Definitio?

Id quod definitur, vocatur Definitum; illud verò, per quod aliquid definitur, eſt ipſa Definitio; ùt in hac Propoſitione: *Homo eſt animal rationale; Homo*, eſt Definitum: *Animal rationale*, eſt Definitio.

Definitum eſt duplex: Objectivum, Et Formale. Definitio etiam eſt duplex: Objectiva, Et Formalis.

155. Definitum eſt duplex: Objectivum, & Formale. Definitum Objectivum eſt ipſa res, quæ definitur; Definitum Formale eſt Terminus Formalis, ſignificans Definitum Objectivum. Pariter Definitio duplex eſt: Objectiva, & Formalis. Definitio Objectiva eſt ipſa res, per quam Definitum Objectivum definitur, ſeu explicatur. Definitio Formalis ſunt Termini Formales, qui clarè explicant Naturam, & Eſſentiam rei Definitæ. Sic

in

in hac Definitione: *Homo eſt animal rationale*; vox: *Homo*; eſt Definitum Formale; Termini verò: *Animal rationale*; ſunt Definitio Formalis. Homo autem, qui datur à parte rei, eſt Definitum Objectivum; & Animal rationale itidem, quòd datur à parte rei, eſt Definitio Objectiva. Definitum porro Objectivum, & Definitio Objectiva non diſtinguuntur inter ſe realiter, ſed tantùm Formaliter, & per noſtrum conceptum.

156. Definitio Formalis alia eſt Nominis, alia Rei. Definitio Nominis eſt Oratio explicans Naturam Nominis; ſive ipſius ſignificationem, & Etymologiam; ùt ſi dicas: *Conſul eſt, qui conſulit Patriæ.* Vel: *Logica eſt ars diſſerendi.* Definitio Rei eſt, quæ explicat Naturam rei, per nomen ſignificatæ; ùt eſt hæc: *Homo eſt animal rationale.* Definitio Rei rurſum alia eſt Eſſentialis, alia Accidentalis. Eſſentialis eſt, quæ explicat Naturam rei per Prædicata eſſentialia, & hæc vocatur abſolutè Definitio. Talis eſt hæc: *Homo eſt animal rationale.* Accidentalis, quam etiam Deſcriptivam dicunt, eſt, quæ rem exponit per Prædicata non eſſentialia; ùt eſt iſta: *Homo eſt animal rectum, implume, bipes.*

Definitio Formalis eſt duplex: Nominis; Et Rei.

Definitio Rei rurſum alia eſt Eſſentialis; Alia Accidentalis.

157. Definitio Eſſentialis ſubdividitur in Metaphyſicam, & Phyſicam. Metaphyſica eſt, quæ explicat naturam rei per partes illius Metaphyſicas. Partes autem rei Metaphyſicæ ſunt Genus, & Differentia

Eſſentialis eſt Metaphyſica.

Digitized by Google

Quæ fit per Genus, tia. Per Genus, ùt jam initiò dictum eſt, intelligitur illud Prædicatum, quòd latiùs patet, & per quod res definita convenit etiam cum aliis; ùt eſt: *Animal*, in definitione hominis; nam per illud homo convenit etiam cum brutis. *Et Differentiam.* Per Differentiam autem intelligitur id, per quod res definita differt, atque diſtinguitur ab omni alia re; ùt eſt: *Rationale*; itidem in Definitione hominis; per hoc enim differt homo à quacunque ſpecie animalis. *Vel Phyſica, quæ fit per partes realiter diſtinctas.* Definitio Rei Phyſica eſt, quæ explicat naturam rei per partes illius Phyſicas, ſeu realiter inter ſe diverſas: ſcilicet per Materiam, & Formam; ùt cùm dico: *Homo eſt Compoſitum ex corpore, & anima rationali.*

Accidentalis autem eſt Cauſalis; 158. Definitio Accidentalis etiam eſt duplex, ùt notat Gervaſius Tract. de Elem. Log. c. 1. a. 9. Cauſalis, & Non cauſalis. Cauſalis eſt, quæ Definitum exponit per Cauſas extrinſecas rei; ùt: *Homo eſt animal creatum à Deo ad æternam Beatitudinem.* *Vel Non cauſalis.* Non cauſalis eſt, quæ datur vel per aliquid non quidem Eſſentiale, ſed tamen Proprium; ùt ſi dicas: *Homo eſt animal riſibile*; vel per alia plura Accidentia, quæ ſeorſim quidem ſumpta poſſunt convenire aliis, non tamen, ſi ſimul ſumantur: ùt fit in illa ſuperiùs allata: *Homo eſt animal rectum, implume, bipes.* Cæterùm Definitio optima, eſt Eſſentialis Metaphyſica; ſive, quæ conſtat Genere proximo, & Differentia; ùt conſtabit ex Regulis mox pro-

Digitized by Google

proponendis. Verùm cùm ea non ſemper haberi poſſit; eoquòd Genus proximum, & Differentiam ſpecificam rei non deprehendamus, cogimur ſubin uti Definitione duntaxat Deſcriptiva, ùt in Ariſtotele ipſo, & Authoribus, paſſim videre eſt.

159. Modus Argumentandi in Definitione, ùt ait Toletus L. 1. c. 5. duplex eſt admodùm utilis. Alter eſt, ut tam Definitum, quàm Definitio de aliquo prædicentur; ac tunc de quocunque affirmabitur, vel negabitur Definitum, affirmabitur etiam, vel negabitur Definitio, & viciſſim; ùt: *Simia non eſt homo: Ergo Simia non eſt animal rationale.* Vel: *Humilitas eſt Habitus bonus: Ergo Humilitas eſt Virtus.* Alter Modus Argumentandi eſt, quando aliquid de Definito, vel de Definitione, affirmatur, aut negatur; & tunc quod affirmabitur, aut negabitur de Definito, affirmabitur etiam, aut negabitur de Definitione, & rurſum viciſſim; ùt: *Animal rationale eſt capax Beatitudinis: Ergo Homo eſt capax Beatitudinis.* Vel: *Habitus malus non eſt expetendus: Ergo nec vitium.* *Modus duplex Argumentandi in Definitione.*

PARAGRAPHUS II.

Regulæ Bonæ Definitionis.

160. De Definitione afferùntur Regulæ tum ab Ariſtotele *Definitionis Regulæ*

alia ſunt Eſſentiales; Alia non item.

in Libris Topicorum, tum ab aliis communiter. Has inter duæ ſunt Eſſentiales, quæ ſi non obſerventur, Definitio non eſt bona. Aliæ ad perfectionem Definitionis faciunt quidem plurimùm; ſine tamen ipſis Definitio adhuc abſolutè bona eſſe poteſt. Eſſentiales primò locò adducemus; reliquas dein ſubjuncturi.

Regulæ eſſentiales Definitionis.

161. Regula 1. Definitio debet eſſe clarior ſuò Definitò. Ratio eſt evidens; quia aliàs non explicaret naturam rei. Contra hancRegulam peccant iſtæ Definitiones: *Vinum eſt ſanguis terræ. Homo eſt Microcoſmus*, ſeu mundus parvus. Intelligenda eſt hæc Regula de Definitione, & de Definito Formali; nam inter Definitionem Objectivam, & Definitum Objectivum non datur claritas,& obſcuritas;cùm ſint idem. Ex ea autem ſequitur,quod aliqui pro peculiari Regula ponunt, videlicet, Definitum non debere ingredi Definitionem; aliàs enim hæc non eſſet illo clarior.

162. Reg. 2. Definitio debet convenire Omni,&Soli;adeóqueDefinitio debet eſſe convertibilis cum ſuoDefinito,debéntque hæc de ſe invicem poſſe dici; ùt, ſi dicam: *Homo eſt animal rationale*; poſſim viciſſim dicere: *Animal rationale eſt homo.* Hinc mala eſt hæc Definitio: *Homo eſt animal bipes*; quia licèt omnis homo ſit animal bipes, non tamen omne animal bipes eſt homo;aliàs etiam Gallus gallinaceus eſſet homo; cùm ſit animal bipes. Intelligenda vi-

viciſſim hæc Regula eſt de Definitione Objectiva, & de Definito Objectivo; nam Definitio Formalis nec poteſt, nec debet eſſe convertibilis cum ſuo Definito Formali; cùm ſint diverſi Termini. Atque iſtæ duæ Regulæ ſunt Definitioni eſſentiales, ùt dictum eſt.

Regula Definitionis minùs eſſentiales.

163. Reg. 3. Definitio nihil habeat ſuperflui, ſítque brevis, quantùm fieri poteſt ſalva claritate. Unde vitioſa eſſet hæc Definitio: *Homo eſt animal rationale bipes*; quia: *Bipes*, eſſet ſuperfluum; cùm: *Animal rationale*, jam ſufficienter explicet eſſentiam hominis. Cæterùm ſubinde admittuntur in Definitionibus quædam non omnino neceſſaria; ſed quæ tamen clariùs exponunt naturam rei.

164. Reg. 4. Definitio fiat per Genus, & Differentiam. Genus autem ſit proximum, ſive quòd omnium Generum minimè latè pateat. Tale Genus eſt reſpectu hominis: *Animal*, per quod convenit homo duntaxat cum brutis; per: *Vivens*, autem, quod eſſet aliud Genus, convenit homo cum brutis, & plantis; & ſic de aliis Generibus, quæ poſſent convenire homini, ùt ſunt *Corpus*, &, *Subſtantia*, quæ adhuc latiùs patent. Subinde tamen fiunt Definitiones etiam per Genus remotum; cùm videlicet iſtud eſt clarius, quàm proximum; aut cùm per acceſſum Differentiæ ſatis intelligitur illud, quod erat per Genus proximum explicandum; vel cùm

plures Differentiæ ſupplent defectum Generis immediati.

165. Reg. 5. Definitio fieri debet per Prædicata primaria rei; ſive, ùt Scholæ loquuntur, per Prædicata Primò conſtitutiva, & Ultimò diſtinctiva; videlicet per ea, ex quibus, veluti ex fonte, reliquà profluunt, & per quæ res ultimatò differt ab omni alia. Hinc malè definiretur homo per: *Animal riſibile*; quia: *Riſibile*, non eſt Prædicatum primarium hominis, ſed eſt ſecundarium tantùm; cùm ex *Rationali* emanet. Ideò enim homo eſt Riſibilis, quia eſt Rationalis; non autem viciſſim. Prædicata Primò conſtitutiva, & Ultimò diſtinctiva, vocantur Eſſentialia; ùt in exemplo allato: *Rationale*; quæ verò ex his oriuntur, dicuntur Proprietates Metaphyſicæ, ùt in eodem exemplo: *Riſibile.*

Solvuntur Objectiones.

166. OBj. 1. Definitio in genere non poteſt definiri: Ergo fruſtra ponitur definitio Definitionis. P.A. Si Definitio in genere poſſet definiri, tunc definiretur per ſe ipſam: ſed per ſe ipſam non poteſt definiri, aliàs explicaretur idem per idem: Ergo Definitio in genere non poteſt definiri:

R. N. A. ad P. D. Maj. Si Definitio poſſet definiri, tunc definiretur per ſe ipſam,

ſam, ita ut ipſa ſit Definitum adæquatum, & totale, N. Maj. ita ut ſit Definitum ſolum inadæquatum, & Partiale. C. Maj. & D. Min. Nihil poteſt definiri per ſe ipſum, ita ut iſtud ſit Definitum adæquatum, & totale, C. Min. ita ut ſit Definitum ſolùm inadæquatum, & partiale. N. Min. & Conſ. Objectio ſolvi debet in pluribus aliis; nam Cognitio e. g. cognoſcens omnes cognitiones, cognoſcit etiam partialiter ſe ipſam; cùm etiam ipſa ſit cognitio: Vox ſignificans omnes Voces ſignificat etiam partialiter ſe ipſam; cùm pariter etiam ipſa ſit vox, & ſic in aliis. Cur ergo Definitio definiens omnes Definitiones non poſſit etiam partialiter definire ſe ipſam? Reſponderi etiam poteſt cum aliis, quòd Definitio *quæ talis* definiat ſeipſam, non verò Definitio *quà talis*. Senſus eſt, quòd Definitio Definitionis ſeipſam quidem reipſa complectatur etiam, ac definiat, ſed tamen ſub alia ratione concipiatur, quando eſt Definitio, quàm quando eſt Definitum; nam quando eſt Definitio, concipitur ùt Definitio definiens; quando autem eſt Definitum, concipitur ùt Definitio definita.

167. Obj. 2. Definitum non debet ingredi Definitionem: ſed ſi Definitio poteſt definiri, Definitum ingreditur Definitionem: Ergo rurſum Definitio non poteſt definiri. P. Min. Quando definitur Definitio, Definitum eſt omnis Definitio: Ergo etiam illa Definitio, quâ defini-

plures Differentiæ ſupplent defectum Generis immediati.

165. Reg. 5. Definitio fieri debet per Prædicata primaria rei; ſive, ùt Scholæ loquuntur, per Prædicata Primò conſtitutiva, & Ultimò diſtinctiva; videlicet per ea, ex quibus, veluti ex fonte, reliqua profluunt, & per quæ res ultimatò differt ab omni alia. Hinc malè definiretur homo per: *Animal riſibile*; quia: *Riſibile*, non eſt Prædicatum primarium hominis, ſed eſt ſecundarium tantùm; cùm ex *Rationali* emanet. Ideò enim homo eſt Riſibilis, quia eſt Rationalis; non autem viciſſim. Prædicata Primò conſtitutiva, & Ultimò diſtinctiva, vocantur Eſſentialia; ùt in exemplo allato: *Rationale*; quæ verò ex his oriuntur, dicuntur Proprietates Metaphyſicæ, ùt in eodem exemplo: *Riſibile.*

Solvuntur Objectiones.

166. OBj. 1. Definitio in genere non poteſt definiri: Ergo fruſtra ponitur definitio Definitionis. P.A. Si Definitio in genere poſſet definiri, tunc definiretur per ſe ipſam: ſed per ſe ipſam non poteſt definiri, aliàs explicaretur idem per idem: Ergo Definitio in genere non poteſt definiri:

R. N. A. ad P. D. Maj. Si Definitio poſſet definiri, tunc definiretur per ſe ipſam,

ſam, ita ut ipſa ſit Definitum adæquatum, & totale, N. Maj. ita ut ſit Definitum ſolum inadæquatum, & Partiale. C. Maj. & D. Min. Nihil poteſt definiri per ſe ipſum, ita ut iſtud ſit Definitum adæquatum, & totale, C. Min. ita ut ſit Definitum ſolùm inadæquatum, & partiale. N. Min. & Conſ. Objectio ſolvi debet in pluribus aliis; nam Cognitio e. g. cognoſcens omnes cognitiones, cognoſcit etiam partialiter ſe ipſam; cùm etiam ipſa ſit cognitio: Vox ſignificans omnes Voces ſignificat etiam partialiter ſe ipſam; cùm pariter etiam ipſa ſit vox, & ſic in aliis. Cur ergo Definitio definiens omnes Definitiones non poſſit etiam partialiter definire ſe ipſam? Reſponderi etiam poteſt cum aliis, quòd Definitio *quà talis* definiat ſeipſam, non verò Definitio *quà talis*. Senſus eſt, quòd Definitio Definitionis ſeipſam quidem reipſa complectatur etiam, ac definiat, ſed tamen ſub alia ratione concipiatur, quando eſt Definitio, quàm quando eſt Definitum; nam quando eſt Definitio, concipitur ùt Definitio definiens; quando autem eſt Definitum, concipitur ùt Definitio definita.

167. Obj. 2. Definitum non debet ingredi Definitionem: ſed ſi Definitio poteſt definiri, Definitum ingreditur Definitionem: Ergo rurſum Definitio non poteſt definiri. P. Min. Quando definitur Definitio, Definitum eſt omnis Definitio: Ergo etiam illa Definitio, quâ defini-

tur Definitio, videlicet hæc: Oratio explicans naturam rei; conſequenter Definitum ingreditur Definitionem.

R. D. Maj. Definitum Formale non debet ingredi Definitionem, C. Maj. Definitum Objectivum non debet ingredi Definitionem. Subdiſtinguo: ita ut ſit adæquatum Objectum Definitionis, C. ut ſit partiale Objectum Definitionis. N. Maj. & D. Min. Sed ſi Definitio poteſt definiri, Definitum Formale ingreditur Definitionem, N. Min. Definitum Objectivum ingreditur Definitionem, rurſus Subdiſtinguo: ita ut ſit Objectum adæquatum Definitionis, N. ita ut ſit Objectum tantùm inadæquatum Definitionis, C. Min. & N. Conſ. Explico Diſtinctionem: Definitum Formale in Definitione Definitionis eſt hæc vox, *Definitio*; hoc autem, ùt patet, non ingreditur Definitionem; nec enim dicimus: Definitio eſt Definitio explicans naturam rei, ſed Definitio eſt Oratio explicans naturam rei. Definitum autem Objectivum in Definitione Definitionis ſunt ipſæ hæ voces: *Oratio explicans naturam rei*, quatenus competunt omni Definitioni. Hæ autem, ùt ſunt Definitio Definitionis, ſunt tantùm Definitum inadæquatum Objectivum, quia non tantùm Definitio Definitionis eſt Oratio explicans naturam rei, ſed omnis alia Definitio, e. g. etiam hæc: *Homo eſt Animal Rationale*; eſt Oratio explicans naturam rei.

168. Obj. 3. Si Definitio poteſt eſſe

ſui

Digitized by Google

ſui ipſius Definitio, ac conſequenter Definitio Formalis ſimul, & Objectiva, reſpectu ſui ipſius, ùt paulò antè dictum eſt, tunc ſequitur, quòd hæc Definitio: Oratio explicans naturam rei, eſſet ſpecies contenta ſub Definitione tanquam genere: hoc dici nequit: Ergo. P. Min. Idem non poteſt ſimul eſſe ſuperius, & inferius ſeipſo. Dein non poteſt Definitio latiùs patere, quàm Definitum; cùm Definitio, & Definitum debeant eſſe convertibilia: Ergo.

R. D. Maj. Sequeretur, quòd illa Definitio eſſet ſpecies contenta ſub Definitione, quatenus eſt aliqua particularis Definitio, C. Maj. quatenus eſt communis aliqua ratio de quacunque Definitione prædicabilis. N. Maj. & ſic Diſtincta Min. N. Conſequentiam. Poteſt igitur hæc Definitio: Oratio explicans naturam rei, contineri ſub Definitione tanquam genere, ſi ſumatur ùt particularis aliqua Definitio, & ſpecies, non autem ſi ſumatur ùt Univerſalis, & genus; atque ſic idem non eſt ſimul ſuperius, & inferius ſeipſo, niſi ſub diverſa ratione; quod non implicat. Cœterùm Definitio, & Definitum adæquatum debent eſſe convertibilia, videlicet adæquatè, non autem etiam Definitum inadæquatum; ſed ad iſtud ſufficit, ut participet totam rationem Definitionis, quin propter eà requiratur, ut ſit omne id, cui Definitio competit. Illa autem Definitio: Oratio explicans naturam rei, quatenus eſt Definitio particularis, contenta ſub ſe ùt

definiente omnes Definitiones, eſt tantùm Definitum Inadæquatum.

169. Obj. 4. Definitio debet eſſe convertibilis cum Definito, ùt ſupra dictum eſt; ſeu Definitio, & Definitum debent eſſe idem: Ergo Definitio non poteſt eſſe clarior ſuo Definito.

R. D. A. ex iis, quæ ſuperiùs in Regulis dicta ſunt, Definitio Objectiva debet eſſe convertibilis cum Definito, ſeu debet eſſe idem cum ipſo, C. A. Definitio Formalis debet eſſe convertibilis cum ſuo Definito, N. A. & D. Conſ. Ergo Definitio Objectiva non poteſt eſſe clarior ſuo Definito Objectivo, C. C. Definitio Formalis non poteſt eſſe clarior ſuo Definito Formali. N. Conſ.

170. Obj. 5. & urgetur argumentum. Definitio Formalis, & Definitum Formale ſunt unus indiviſibilis actus: ergo adhuc Definitio Formalis non poteſt eſſe clarior ſuo Definito etiam Formali. Conſequentia rurſus conſtat; quia idem non poteſt eſſe clarius ſe ipſo. A. P. Actus, quô definio Hominem, in eo ponendo Definitum Formale, & Definitionem Formalem, & quo dico: *Homo eſt Animal rationale*, eſt una indiviſibilis cognitio; Ergo Definitio Formalis, & Definitum Formale ſunt unus indiviſibilis actus.

R. D. A. Definitio Formalis, & Definitum Formale ſunt unus realiter indiviſibilis actus, ita tamen, ut formaliter ſit duplex, & æquivalenter repræſentet duas diver-

diverſas cognitiones, C. ita ut non ſi formaliter duplex, nec repræſentet duas diverſas cognitiones. N. A. & Conſequentiam. Quamvis ergo actus ille, quo dico: Homo eſt Animal rationale, ſit unus realiter indiviſibilis actus, quia eſt una cognitio, poteſt tamen iſte actus per conceptum noſtrum dividi in duas formalitates, ſeu in duas diverſas cognitiones, quarum una dicit: *Homo*, altera; *Animal rationale*: Ferè, ùt jam ſuperius n. 35. diximus, Propoſitionem Mentalem, licèt ſit unus indiviſibilis actus, habere tamen Terminos, quia æquivalenter eſt multiplex, & repræſentat rem nunc tanquam Subjectum, nunc tanquam Prædicatum. Jam verò Propoſitio illa indiviſibilis, qua proponitur Definitio Hominis, quatenus cognoſcitur præcisè ùt dicens: *Homo*, eſt actus obſcurus, quatenus autem cognoſcitur ùt dicens: *Animal rationale*, eſt actus clarus. Priori autem modò accipitur ùt Definitum, alterò, ùt Definitio. Hinc fit, ut Definitio Formalis ſit clarior ſuo Definito itidem Formali.

171. Obj. ult. Non eſt clarius, quid ſit v. g. Animal Rationale, quàm quid ſit, Homo: Ergo Definitio Hominis non eſt clarior ſuo Definito. P. A. Si hominem rudem interrogem, an ſit Animal rationale, forſan nollet eſſe Animal, volet autem eſſe utique Homo: Ergo non eſt clarius, quid ſit Animal rationale, quàm quid ſit Homo. Fieri hoc argumentum jure me-

liori poteſt in pluribus aliis Definitionibus longè obſcurioribus.

R. D. A. Non eſt clarius per accidens, & non penetranti terminos, C. A. non eſt clarius per ſe, & penetranti Terminos. N. A. & Conſequentiam.

ARTICULUS V.

De Diviſione.

De Diviſione pariter dicendum, quid, & quotuplex ea ſit, tum ejusdem Regulæ erunt afferendæ.

PARAGRAPHUS I.

Quid, & Quotuplex ſit Diviſio?

Definitio Diviſionis.

172. Diviſio; ùt habet Oviedo Controv. 2. Punct. 2. n. 1. ac Dialectici communiter loquuntur, eſt Oratio totum in ſuas partes diſtribuens. Totum, quod diſtribuitur, vocatur Diviſum; Partes, in quas diſtribuitur, vocantur Membra Dividentia. v. g. ſi dico: *Aliud Animal eſt Rationale, aliud Irrationale. Animal*, eſt Diviſum, *Rationale*, &, *Irrationale*, ſunt Membra Dividentia. Porrò Diviſio non modò in omni Diſciplina maximo eſt uſui; ùt patet ex quovis ſive

Digitized by Google

ſive Diſcurſu, ſive Opere litterario; ſed neceſſaria etiam eſt ad dirimenda Sophiſmata, & tollendas Æquivocationes.

173. Quemadmodùm autem Definitio, ita etiam Diviſio, alia eſt Nominis, alia Rei. Diviſio Nominis eſt, quâ exponitur multiplex ſignificatio Nominis; ùt: *Significatum Termini: Canis, aliud eſt animal latrabile, aliud, Sidus; aliud, Piſcis.* Diviſio Rei eſt, quando res ipſa à Nomine diſtincta, diſtribuitur in ſuas partes. Hæc autem pro diverſitate Totorum etiam eſt multiplex, & diverſa.

Diviſio eſt duplex; Nominis;

Et Rei.

174. Alia enim eſt Actualis; alia Potentialis. Diviſio Realis Actualis eſt, quæ dividit Totum aliquod in partes ſuas reales, ac ex quibus actu componitur. Atque hæc eſt vel Metaphyſica, vel Phyſica. Metaphyſica eſt, quâ totum dividitur in ſuas partes Metaphyſicas, ſive realiter inter ſe identificatas, & tantùm ratione noſtra ſeparabiles, ùt ſunt Genus, & Differentia. Talis eſt hæc: *Alia pars hominis eſt Animal; alia Rationale.* Phyſica eſt, quâ totum dividitur in ſuas partes Phyſicas, ſeu realiter inter ſe diſtinctas; ùt: *Alia pars hominis eſt Anima, alia Corpus, alia Unio.* Phyſica rurſum alia eſt Eſſentialis, alia Integralis. Eſſentialis eſt, quæ dividit totum in ſuas partes Phyſicas Eſſentiales; id eſt, tales, quæ pertinent ad Eſſentiam, & Naturam rei; ùt quando dividitur homo in Corpus, Animam, & Unionem. Integralis eſt, quæ totum dividit in ſuas partes

Diviſio Rei alia eſt Actualis; eáque Metaphyſica.

Vel Phyſica;

Quæ rurſum eſt Eſſentialis;

Et Integralis.

Integrantes; id eſt; tales, quæ non pertinent ad eſſentiam rei, ſed tantùm ad ejus integritatem; ùt ſi dico: *Alia pars hominis eſt Caput, alia Manus, alia Pes.*

Diviſio Rei alia etiam eſt Potentialis.

175. Diviſio Realis Potentialis eſt illa, quæ dividit Totum Potentiale in ſuas partes Subjectivas, ſeu Poteſtativas. Totum autem Potentiale nihil aliud eſt, quàm Terminus Univerſalis: v.g. *Animal, Vivens, Corpus.* Partes autem Subjectivæ, ſeu Poteſtativæ, ſunt Inferiora, quæ ſub illo Termino Univerſali continentur, & quæ per illud ſignificantur. v.g. Partes Poteſtativæ Animalis, in quantum iſtud eſt Totum Potentiale, ſeu Terminus Univerſalis, ſunt: Homo, &, Brutum. Diviſio autem Potentialis etiam ipſa eſt duplex: Univoca videlicet, & Analoga. Univoca eſt, quæ fit per partes Univocas, ſeu quæ conveniunt Univocè, & propriè, in ratione per Terminum Univerſalem ſignificata. Analoga eſt, quæ fit per partes Analogas, ſeu quæ non conveniunt propriè in ratione per Terminum Univerſalem importata. Sic Diviſio Univoca eſt Animalis in Hominem, & Brutum; Analoga autem, pariter Hominis in hominem Verum, & hominem Pictum.

Quæ eſt Univoca;

Aut Analoga.

PARAGRAPHUS II.

Regulæ Bonæ Diviſionis.

Regula Diviſionis.

176. Regula 1. Diviſum debet plus continere, quàm ſingula

gula Membra Dividentia ſeorſim ſumpta. Ratio eſt; quia Diviſum eſt Totum, Membra autem Dividentia ſunt Partes; Sed Totum eſt majus quavis ſua Parte. Unde malè divideretur animal hôc modô: *Animal aliud eſt Vivens ſenſitivum, aliud Homo, aliud Brutum*; quia: *Vivens ſenſitivum*, quod deberet eſſe Membrum Dividens, adæquat ipſum Totum, & tam latè patet, quàm: *Animal*, quod eſt Diviſum.

177. Reg. 2. Membra Dividentia Collectivè, & ſimul ſumpta, debent adæquare Diviſum; & nihil debet contineri in Diviſo, quod non ſit in Membris Dividentibus, ac viciſſim. Ratio eſt, quia Diviſum, & Membra Dividentia ſunt idem: Ergo nihil debet eſſe in uno, quod non ſit in altero; Hinc mala eſt hæc Diviſio: *Viventium aliud eſt Homo, aliud Brutum*; quia Diviſum, nimirum: *Vivens*, continet plùs, quàm hæc duo membra Dividentia: *Homo, & Brutum*; ſcilicet Plantas, quæ etiam vivunt.

178. Reg. 3. Diviſio fiat in Membra Proxima, & Immediata; hinc malè dividerem animal hôc modô: *Animal aliud eſt Rationale, aliud, Rugibile, aliud Hinnibile*; quia hæc duo ultima Membra non ſunt Proxima; ſequuntur enim ad: *Irrationale*, Sub quo continentur; unde Animal dividi debet in Rationale, & Irrationale.

179. Reg. 4. Unum Membrum Dividens non debet contineri in altero; ſed debent inter ſe pugnare, ita ut nullum poſſit affir-

affirmari de altero. Hinc mala eſt hæc Diviſio: *Hominum alius eſt Probus; alius Doctus*; quia poteſt unus Homo ſimul eſſe Probus, & Doctus. Item hæc: *Animal aliud eſt Rationale, aliud Irrationale, aliud Riſibile*; quia Riſibile jam continetur ſub Rationali.

180. Reg. 5. Singula Membra Dividentia debent participare rationem Diviſi. Intelligenda eſt hæc Regula de Diviſione Totius Potentialis; in qua nimirum Genus, ſeu Terminus Univerſalis, dividitur in ſuas partes Poteſtativas, & Inferiora; ac ſenſus illius eſt: debere totam rationem, per Terminum Univerſalem ſignificatam, ineſſe Inferioribus, in quæ Terminus Univerſalis dividitur. Hinc mala eſt hæc Diviſio: *Animal aliud eſt Rationale, aliud Irrationale, aliud Angelus*; quia Angelus non participat rationem Diviſi; cùm ipſe non dicatur animal. Sed hæc de iis dicta ſunto, quæ ad Primam Mentis Operationem ſpectant; modò ad ea exponenda progrediamur, quæ ſpectant ad Secundam.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Secunda Mentis Operatione.

SEcunda Mentis Operatio eſt Affirmatio, aut Negatio, ùt initiò notatum eſt: Ad eam

Digitized by Google

eam igitur ſpectat Propoſitio; cùm per Propoſitionem exponatur Affirmatio, & Negatio; unde in hac Quæſtione tractanda veniunt, quæ Propoſitionis propria ſunt. Exponemus autem primò Eſſentiam, & Multiplicitatem Propoſitionum; tum ea, quæ ad Propoſitionem ſpectant, ùt ſunt Veritas Propoſitionum, earúmque Oppoſitio, Æquipollentia, Converſio. Ad plenam tamen Propoſitionis notitiam, explicari hìc ante alia ſolet, quid ſint Nomen, Verbum, & Oratio?

ARTICULUS I.

De Nomine, Verbo, & Oratïone.

181. HUrtadus in Summul. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. ex Antonio Nebriſsenſi Nomen definit: Quòd ſit Vox declinata per Caſus. Magis Philoſophicè Nomen ab Ariſtotele L. 1. Periherm. c. 2. definitur, quòd ſit Vox ſignificativa ad placitum, ſine tempore, finita, & recta, cujus nulla pars ſignificat ſeparata. Dicitur 1. *Vox*; per quod, ùt ait Arriaga Diſp. 2. ſect. 1. n. 1. excluduntur à ratione Nominis Termini Mentales, & Scripti; quia non ſunt voces; niſi dicere malis, quemadmodùm Terminum Mentalem, ac Scriptum; ſic etiam Nomen Mentale, ac Scriptum admitti poſſe. Dicitur 2. *Significativa ad placitum*; nec enim voces Non ſigni-

Definitio Nominis.

Hac Definitio explicatur.

gnificativæ, ùt: *Bliſtri*; nec voces naturaliter ſignificantes, quales ſunt gemitus tum hominum, tum brutorum, inter nomina cenſentur. Dicitur 3. *Sine tempore*; Nomen enim non conjugatur per tempora, nec importat in ſua ſignificatione exercitium aliquod factum pro aliqua differentia temporis. Differentiæ porro temporis ſunt hæ tres: *Præſens*, *Præteritum*, & *Futurum*. Hinc habetur, quòd iſtæ voces: Dies, Menſis, Annus, Sæculum, & aliæ ejusmodi, non ſignificent cum tempore, quamvis ſignificent aliquam menſuram temporis. Dicitur 4. *Finita*, ut excludantur Termini Infiniti; ùt: *Non homo*; *Non Leo*. Dicitur 5. *Et recta*; per quod excluduntur Caſus Obliqui. Hi verò, ùt cenſet Du Trieu Tract. 2. P. 1. c. 1. ac etiam Termini Infiniti, excluduntur à ſtricta, & propria ratione Nominis ob eam cauſam; quia cum Verbo non poſſunt conſtituere perfectam Enuntiationem. 6. *Cujus nulla pars ſignificat ſeparata*; id eſt: Nomen non componitur ex partibus actu ſignificantibus, per quod excluditur Oratio, ùt: *Homo albus*, cujus partes ſeparatæ ſignificant; nón verò Nomen compoſitum. v. g. *Reſpublica*; *Jusjurandum*; quia licèt horum partes aliquid per ſe ſingulæ ſignificent, ſi ſumantur ùt integræ Dictiones; nihil tamen ſeparatim ſignificant, ſi ſumantur ùt partes unius Dictionis compoſitæ, ſed ſunt inſtar Syllabarum, quæ propriam ſignificationem non habent.

182.

Digitized by Google

182. Verbum verò rurſum à Nebriſſenſi apud Hurtadum loc. cit. ſect. 2. §. 8. definitur, quòd ſit Vox conjugata per tempora. Ariſtotelica autem Verbi Definitio eſt hæc: Verbum eſt vox ſignificativa ad placitum, cum tempore, cujus nulla pars per ſe ſignificat, finita, & recta, & eſt eorum, quæ dicuntur, nota. Hæc Definitio eſt de Verbo propriè tali, ac potiſſimùm Activo, differtque à Definitione Nominis, inprimis per hæc verba: ***Cum tempore***; ut videlicet Verbum ſit, quod ſignificat unam ex primariis Differentiis temporis, ac actionem in ea poſitam, ùt ſupra explicatum eſt. Dein Verbum etiam eſt: ***Eorum, quæ dicuntur, nota;*** id eſt: Verbum eſt Copula, ſeu Unio; quia per Verbum Prædicatum unitur Subjecto, ope Verbi Subſtantivi, ***Sum***, quod in quovis, variis dein Temporibus, Modis, ac Perſonis, ſubintelligitur. *Definitio Verbi.*

183. Oratio denique ab Ariſtotele L. 1. Perih. c. 4. definitur: Vox ſignificativa, cujus partium aliqua ſignificativa eſt ſeparata, ùt Dictio, non autem ùt Affirmatio, aut Negatio. Senſus autem Definitionis eſt, ùt ait P. Semery Diſp. 2. c. 1. a. 3. ad rationem Orationis requiri quidem, ut partium aliqua ſignificet ſeparata ùt Dictio; non autem requiri, ut ſignificet per modum Affirmationis, aut Negationis; quamvis ad rationem Orationis non obſit, ſi ea etiam ùt Affirmatio, vel Negatio ſignificet. Hôc modô Definitio allata *Definitio Orationis.*

K con-

convenit omni Orationi; illi quidem, quæ non eſt Affirmativa, aut Negativa, quia non requiritur, ut ſit Affirmativa, aut Negativa; etiam autem Affirmativæ, aut Negativæ; quia non obeſt, ſi ſit Affirmativa, aut Negativa.

Oratio Imperfecta; Et Perfecta.

184. Jam verò Oratio alia eſt Imperfecta; alia Perfecta. Oratio Imperfecta eſt, quæ non gignit perfectum ſenſum, eáque eſt vel ſine Verbo; ùt: *Homo juſtus*; vel cum Verbo; ùt: *Si ego venirem.* Oratio perfecta eſt, quæ gignit perfectum ſenſum; ùt: *Homo eſt animal.* Perfecta rurſum alia eſt Non enuntiativa, in qua nec eſt verum, nec falſum; ùt: *Sis felix.* Alia Enuntiativa, in qua eſt verum, vel falſum; de qua mox, poſtquàm aliquas Objectiones ſolverimus.

Solvuntur Objectiones.

185. OBj. Potiſſimùm ex P. Semery in Introd. Diſp. 2. c. 1. *Prandium; Cæna;* & alia id genus, ſunt Nomina, & tamen ſignificant cum tempore; Ergo malè dicitur, quòd Nomen ſit Vox ſignificativa ſine tempore.

R. Cum eodem Authore loc. cit. N. A. Nam aliud eſt connotare, ſeu ſignificare tempus; aliud ſignificare cum tempore, determinando aliquam ex Differentiis primariis temporis, ùt fit, cùm v. g. dico: *Studeo; Studui; Studebo.* Prius convenit Nomini, non autem poſterius.

186. Obj. 2. Hoc Nomen: *Cœna*, ſignificat comeſtionem exercitam tempore nocturno: *Prandium*; exercitam tempore meridiano: Ergo prædictæ voces ſignificant actionem aliquam exercitam in aliqua Differentia temporis.

R. C. A. D. Conſequens. Significant actionem aliquam exercitam in aliqua Differentia temporis Grammaticali, quales ſunt tres illæ ſuperiùs allatæ, N. Conſequentiam; Non Grammaticali. Tranſeat Conſequentia. Differentiæ temporis, quas oportet ſignificari per Verbum, ſunt hæ ſuperiùs allatæ: *Præſens*, *Præteritum*, & *Futurum*; non verò tempus nocturnum, aut meridianum.

187. Dices. Ergo ſaltem hæ voces: *Præſens*; *Præteritum*; &, *Futurum*; non ſunt Nomina; cùm ſignificent ipſaſmet Differentias temporis.

R. N. Illatum. Nam aliud eſt ſignificare ipſas Differentias temporis; aliud ſignificare actionem exercitam, indicando ſimul, in qua Differentia temporis ea exerceatur; prius iterum allatis vocibus convenit, non autem poſterius; iſtud autem neceſſariò ad Verbum requiritur.

188. Obj. 3. Participia Futuri temporis; ùt: *Amaturus*; *Lecturus*, ſignificant actionem aliquam exercendam in illa Differentia temporis, quam exprimunt; ſcilicet in tempore futuro: Ergo non ab omnibus Nominibus excluditur ſignificare cum tempore etiam modò explicatò.

R. C. A. N. C. Nam participia futuri temporis propriè loquendo non ſunt Nomina, ſed ſunt modi Verborum cum Relativo, *Qui, quæ, quod*, ſubintellecto, conjuncti; Idem enim eſt apud Grammaticos: *Homo amaturus*, ac: *Homo qui amabit*. Aliud cenſendum eſt de Participiis Præſentis, aut etiam Præteriti temporis, ùt: *Amans:* vel, *Amatus*; nec enim hæc determinatum tempus neceſſariò oſtendunt; ac quemadmodùm poſſum dicere: *Nunc, & de Præſenti, eſt Amans*; ſic etiam de Præterito loqui poſſum: *fuit amans*.

ARTICULUS II.

De Eſſentia, & Multiplicitate Propoſitionis.

QUædam de Propoſitione, quam etiam Enuntiationem dicunt, jam ſupra Quæſt. 1. a. 1. §. 1. notata ſunt; reliqua deinceps, DEO juvante, expedientur. Dicendum autem hìc primò, quænam ſit eſſentia Propoſitionis; tum afferenda ejus Diviſio ratione Materiæ, Formæ, Quantitatis, & Qualitatis.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS I.

Quid ſit Propoſitio; & quid ejus Materia, Forma, Quantitas, & Qualitas?

189. DEfinitur Propoſitio ab Ariſtotele L. 1. Prior. c. 1. ùt etiam nuper dictum eſt, quòd ſit Oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo. Oratio, eſt Genus; Omnis enim Propoſitio eſt Oratio; ùt patet ex Definitione Orationis ſuperiùs allata; ſed non omnis Oratio eſt Propoſitio; nam, ùt ex eadem Definitione cónſtat, Oratio Imperfecta, ac illa, quæ nihil negat, aut affirmat, non eſt Propoſitio. Itaque; Affirmativa, aut Negativa alicujus de aliquo, ſe habent per modum Differentiæ. *Definitio Propoſitionis.*

190. In omni Propoſitione conſiderant Dialectici hæc 4. Materiam, Formam, Quantitatem, & Qualitatem. Pro Materia Propoſitionis aſſignant aliqui Terminos, quibûs Propoſitio conſtat, ùt eſt apud Semery Diſp. 2. c.4. Pro Forma autem ipſam Terminorum Diſpoſitionem; ſicut Materia ædificii ſunt lapides; Forma verò, ipſa Diſpoſitio lapidum. Sed hæc Explicatio non facit ad rem præſentem, ùt ait idem Author loc. cit. ac patebit etiam ex Diviſione Propoſitionis reſpectu Materiæ ad-

Ejus Materia; ducenda. Itaque Materia Propoſitionis eſt ipſum Objectum, ſeu Subjectum Objectivum, & Prædicatum itidem Objectivum, quatenus inter ſe dicunt reſpectum. *Forma,* Forma Propoſitionis eſt Unio, ſeu Copula, quæ intercedit inter Terminos, ut hoc ſit Subjectum, illud verò Prædicatum. *Quantitas;* Quantitas eſt Extenſio, vel Reſtrictio Subjecti, ut pro pluribus, vel paucioribus accipiatur. *Et Qualitas.* Qualitas Propoſitionis, juxta nonnullos, eſt ejuſdem Veritas, vel Falſitas; juxta alios eſt Affirmatio, vel Negatio; quærenti enim, qualis ſit Propoſitio? reſpondetur, ùt ajunt illi: eſſe Veram, vel Falſam; vel, ùt dicunt iſti: Affirmativam, aut Negativam. Hìc per Qualitatem Propoſitionis, more in Scholis jam recepto, intelligitur duntaxat Affirmatio, vel Negatio.

PARAGRAPHUS II.

Quotuplex ſit Propoſitio ratione Materiæ?

Propoſitio ratione Materia eſt 191. CÆterùm cùm triplicis generis poſſit eſſe reſpectus, quem Subjectum, & Prædicatum inter ſe habent in Propoſitione: videlicet Neceſſarius, Impoſſibilis, & Contingens; triplex quoque, inprimis ex hoc capite, ratione Materiæ Propoſitio erit: nimirum Neceſſaria, Impoſſibilis, & Contingens. *Neceſſaria;* Propoſitio Neceſſaria, ſeu, ùt etiam ſolemus loqui,

qui, Propoſitio in Materia neceſſaria, eſt, in qua Subjectum, & Prædicatum neceſſariò connectuntur inter ſe; ùt cùm dico: *Homo eſt animal rationale.* Propoſitio Impoſſibilis, ſeu in Materia Impoſſibili, eſt, quando Prædicatum Objectivum repugnat Subjecto Objectivo, ut hæc unita inter ſe non ſint, nec poſſint uniri; ùt: *Canis eſt Equus.* Propoſitio Contingens, ſive in Materia Contingenti, eſt, in qua Prædicatum nec neceſſariò convenit, nec neceſſariò repugnat Subjecto; ùt ſi dico: *Petrus eſt Logicus;* nec enim neceſſe eſt, ut Petrus ſit Logicus, nec, ut non ſit. *Impoſſibilis; Contingens.*

192. Neceſſitas autem hæc Propoſitionis eſt triplex: Metaphyſica, Phyſica, & Moralis. Neceſſitas Metaphyſica eſt, cùm Prædicatum eſt de eſſentia Subjecti, & neque ſupernaturaliter poteſt ipſi non convenire; ùt eſt in Propoſitione ſuperiùs allata: *Homo eſt animal rationale.* Atque Propoſitiones, in quibus reperitur hæc Neceſſitas, vocantur Propoſitiones Æternæ Veritatis. Neceſſitas Phyſica eſt, cùm Prædicatum naturaliter quidem neceſſariò connectitur cum Subjecto; abſolutè tamen, & ſupernaturaliter poſſet ab eo ſeparari; ùt cùm dico: *Ignis urit;* licèt enim vis uſtiva naturaliter neceſſariò inſit igni; ſupernaturaliter tamen poteſt ab eo ſeparari. Neceſſitas Moralis tunc datur, quando Propoſitio eſt tantùm Moraliter certa; ùt: *Cicero extitit.* Propoſitio autem tunc Moraliter certa dicitur, quando ejus moti- *Cæterùm Neceſſitas eſt triplex, Metaphyſica; Phyſica; Et Moralis.*

vum abſolutè quidem poteſt fallere; nunquam tamen fallit, vel certè rariſſimè. Neceſſitas porro triplex, quæ datur ad Veritatem in Materia Neceſſaria, datur etiam cum Proportione ad Falſitatem in Materia Impoſſibili.

Propoſitio ratione Materiæ adhuc eſt Formalis.

193. Ratione Materiæ autem dividitur ulteriùs Propoſitio in Formalem, & Identicam. Formalis eſt, quando inter Subjectum, & Prædicatum intercedit aliqua diverſitas; ùt cùm dico: *Homo eſt animal.* Identica autem, quam ſubinde etiam Nugatoriam vocant, ea eſt, quæ ex parte Prædicati eundem ſenſum generat, quem ex parte Subjecti; ùt: *Petrus eſt Petrus; Enſis eſt gladius.* Hujus ferè uſus non eſt.

Et Identica;

Ordinata;

194. Denique itidem ratione Materiæ dividitur Propoſitio in Ordinatam, & Inordinatam. Ordinata, quæ etiam Directa appellatur, eſt, in qua prædicatur, aut ſubjicitur id, quod aptius eſt prædicari, aut ſubjici. Inordinata, ſive Indirecta, eſt, in qua ſubjicitur id, quod aptius eſt prædicari. Cenſetur autem aptior prædicari Terminus Superior, ſive latiùs patens, de Inferiore, ac minùs latè patente; item Connotativus de Connotato. Ordinatæ Propoſitionis exemplum habetur in hac: *Petrus eſt doctus*; Inordinatæ verò in hac: *Doctus eſt Petrus*; ſive: *Aliquid doctum eſt Petrus.*

Vel Inordinata.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

Quotuplex ſit Propoſitio ratione Formæ?

195. POrro Propoſitio ratione Formæ alia eſt Simplex, alia Compoſita. Simplex, ſive, ùt etiam vocant, Categorica eſt, quæ tantùm unam habet Copulam Principalem; ſive quæ uno tantùm Subjecto, & Prædicato, conſtat; ùt: *Petrus eſt homo.* Compoſita, ſive Complexa, quam hypotheticam quoque ſubinde appellant, eſt, quæ plures habet Copulas Principales; ſeu, quæ conſtat pluribus Propoſitionibus Simplicibus; ùt cùm dico: *Petrus currit, & Paulus loquitur.* *Propoſitio ratione Formæ eſt Simplex; Vel Compoſita.*

196. Propoſitio Simplex ſubdividitur in Abſolutam, & Modalem. Abſoluta eſt, quæ præcisè enuntiat Prædicatum de Subjecto; nec exprimit Modum, quò illud huic convenit; ùt: *Ignis calefacit.* Modalis verò eſt, quæ exprimit Modum, quò Prædicatum Subjecto convenit; ùt: *Ignis neceſſariò calefacit.* Modus autem iſte quadruplex reperitur; nimirum: Neceſſe; Impoſſibile; Poſſibile; Poſſibile non; ſeu Contingenter. Atque iſti Modi, Simplices poſſunt vocari, ad aliorum, qui paulò poſt adducentur, differentiam. *Simplex alia eſt Abſoluta; Alia Modalis. Modi Simplices ſunt quatuor.*

197. Circa Propoſitiones Modales *In Propo-*

ſitione Modali ſunt: Modus; Notandum porro; In quavis earum duo contineri: Modum ſcilicet, & Dictum. Modus eſt vox una ex quatuor enumeratis: Neceſſe; Impoſſibile; Poſſibile; & Contingens: vel ex aliis Æquivalentibus.

Et Dictum. Reliqua, quæ afferuntur ſub Modo, vocantur Dictum; e. g. in hac Propoſitione: *Homo neceſſariò eſt animal;* Modus eſt vox: *Neceſſariò*; Dictum verò eſt: *Homo eſt animal.* Aliquando autem contingit, ùt benè notat Semery hìc Diſp. 2. c. 6. ut Propoſitio aliqua ſit Particularis de Dicto; Univerſalis autem de Modo; prout fit in hac: *Aliquem hominem currere eſt neceſſe.* Subinde, è contra, Propoſitio eſt Univerſalis de Dicto, & Particularis de Modo; ùt *Omnem hominem currere eſt poſſibile.* Par eſt ratio de Qualitate; contingit enim aliquando, Propoſitionem eſſe Affirmativam de Dicto; Negativam de Modo; ùt: *Hominem latrare, non eſt poſſibile.* Aut Negativam de Dicto, Affirmativam de Modo ùt: *Hominem non latrare, eſt neceſſe.*

Modi proponuntur per Adverbia; Vel per integras Propoſitiones. 198. Circa Propoſitiones itidem Modales Not. 2. dupliciter poſſe, ac ſolere accipi Modum. 1. Per Adverbia, & Terminos Syncategorematicos; ùt: *Homo neceſſariò eſt animal.* 2. Per integras Propoſitiones; ùt: *Neceſſe eſt, hominem eſſe animal.* Not. 3. Præter 4. Modos ſupra allatos, dari alios quatuor, qui vocantur

Modi Temporanei; Et Locales. Temporanei; & alios quatuor Locales. Temporanei ſunt: Semper; Nunquam; Aliquando; Aliquando non. Locales ſunt:

ſunt: Ubique; Nullibi; Alicubi; Alicubi non.

199. Jam verò Propoſitio Complexa, ſive Compoſita, ſubdividitur in Copulativam, Disjunctivam, Conditionalem, & Cauſalem. Copulativa eſt, quæ conſtat pluribus Propoſitionibûs Simplicibus connexis per particulam: *Et*, vel æquivalentem; ùt: *Petrus ſcribit, & Paulus legit.* Disjunctiva eſt, quæ conſtat pluribus Propoſitionibûs conjunctis per Particulam: *Vel; Aut*; ſeu per æquivalentem; ùt: *Petrus legit, vel Paulus dormit.* Conditionalis, ſive Conditionata, eſt, quæ conſtat pluribus Propoſitionibûs conjunctis per Particulam: *Si; Niſi;* ùt: *Si Petrus ſtuderet, fieret doctus*; ubi: *Si Petrus ſtuderet*, eſt Conditio; *Fieret doctus*, eſt Conditionatum. Cauſalis eſt, quæ conſtat pluribus Propoſitionibûs conjunctis per Particulam: *Quia*; v.g. *Quia ſol lucet, dies eſt.* Omnes quidem Propoſitiones Complexæ ſubinde vocantur Hypotheticæ; ùt jam ſupra notatum eſt; ſola tamen Conditionalis eſt propriè, & ſtrictè Hypothetica; nam Hypotheſin, Suppoſitionem, ſeu Conditionem, interpretantur.

Propoſitio Compoſita alia eſt: Copulativa; Alia Disjunctiva; Alia Conditionalis; Alia Cauſalis.

200. Ad Propoſitiones Complexas; ſive Compoſitas, reducuntur etiam Propoſitiones Exponibiles; quæ quidem unicâ Copulâ explicitè conſtant; pluribus tamen æquivalent; in quas etiam exponi poſſunt, ac ſæpe debent, ut clarè intelligantur. Propoſitio

Ad Complexas reducuntur etiam Exponibiles:

poſitio, quæ aliam explicat, dicitur Exponens; illa, quæ explicatur, vocatur Expoſita. Exponibilium autem triplex eſt genus; nempe aliæ ſunt Excluſivæ; aliæ Exceptivæ; aliæ Reduplicativæ. Excluſiva eſt, cujus Subjecto, vel Prædicato præponitur Signum aliquod excludens; v.g. *Tantùm; Solùm*; aut aliud æquivalens. Si tale Signum Subjectum afficit; Prædicatum excludit ab omni alio Subjecto; ùt in hac Propoſitione: *Tantùm Deus eſt Omnipotens*; quæ ſic exponitur: Deus eſt Omnipotens; & nullus alius eſt Omnipotens. Si verò afficiat Prædicatum; tunc à Subjecto removet omnia alia Prædicata ejuſdem rationis; ùt: *Petrus eſt tantùm Logicus*; quæ Propoſitio habet hanc Exponentem: Petrus eſt Logicus, & nullius alterius Scientiæ peritus. Exceptiva eſt, cujus Subjecto, vel Prædicato additur Particula Exceptiva: *Præter; Extra*; aut alia ejuſmodi; ùt: *Omnes Apoſtoli, præter Judam Iſcariotem, ſunt in Cœlo*; quæ ſic exponitur: Judas Iſcariotes non eſt in Cœlo, & cæteri Apoſtoli omnes ſunt in Cœlo. Circa quod tamen notandum, quòd, quando Particula: *Præter*, in alio ſenſu, quàm in Exceptivo, accipitur, v. g. pro, *Simul*; ea itidem non ſit Particula Exceptiva; ùt ſi dicam: *Aliquis, præter Petrum, eſt in Schola*; ſenſus enim eſt Copulativus, nimirum iſte: Aliquis cum Petro eſt in Schola. Reduplicativa Propoſitio eſt, cujus Subjecto, vel Prædicato jungitur Particula Reduplicati-

Quæ ſunt triplicis generis.

Excluſiva.

Exceptiva.

Reduplicativa.

cativa: *Quà*; *Ut*; *Quatenus*; aut ſimilis, v. g. *Petrus quà Muſicus canit*; Senſus eſt: Petrus eſt Muſicus, & canit.

201. Notandum poſtremò, omnem Propoſitionem Exponibilem Affirmativam æquivalere Propoſitioni Copulativæ; ùt Propoſitio hæc: *Solus DEUS extitit ab æterno*; habet hunc ſenſum: DEUS extitit ab æterno, & nihil diſtinctum à DEO extitit ab æterno. Viciſſim verò omnem Propoſitionem Exponibilem Negativam æquivalere Propoſitioni Disjunctivæ. Sic hæc Propoſitio: *Non ſolus homo eſt animal*; æquivalet huic: Vel homo non eſt animal; vel etiam aliud ens, diſtinctum ab homine, eſt animal.

Propoſitio Exponibilis Affirmativa æquivalet Copulativæ;

Et Negativa Disjunctivæ.

PARAGRAPHUS IV.

Quotuplex ſit Propoſitio ratione Quantitatis, & Qualitatis?

202. JAm verò ratione Quantitatis dividitur Propoſitio in Univerſalem, & Particularem, Indefinitam, & Singularem. Univerſalis eſt illa, in qua Recto Subjecti præfigitur Signum Univerſale. Exemplo ſint hæ: *Omnis Homo currit. Omnes Cives alicujus Urbis ſunt probi.* Particularis eſt, in qua Recto Subjecti præfigitur Signum Particulare, ùt: *Aliquis Homo currit. Pars aliqua omnis* Civi-

Propoſitio ratione Quantitatis eſt Univerſalis.

Particularis.

Digitized by Google

Civitatis eſt improba. Indefinita Propoſitio eſt, cujus Subjectum eſt Terminus Communis, nullum habens præfixum Signum, ùt: *Homo eſt Animal.* Ubi notandum, Propoſitionem Indefinitam in Materia Neceſſaria, & Impoſſibili æquivalere Univerſali, ùt cùm dico: *Homo eſt Animal*, idem eſt, ac: Omnis Homo eſt Animal. Pariter ſi dico: *Homo non eſt lapis*, idem eſt, ac ſi dicerem: Nullus Homo eſt lapis. In Materia Contingente autem æquivalere Particulari; ſic: *Homo currit*, idem ſignificat, ac: Aliquis Homo currit. Quæ patent etiam ex Regulis Suppoſitionum ſuperiùs adductis. Singularis denique Propoſitio eſt illa, cujus Subjectum eſt Terminus Singularis, ùt: *Petrus ambulat*, vel: *Hic Homo eſt doctus.*

Et Singularis.

Ratione Qualitatis eſt Affirmativa. Vel Negativa.

203. Ratione Qualitatis dividitur Propoſitio in Affirmativam, & Negativam. Affirmativa fit per Copulam Principalem: *Eſt*, unientem Extrema, ùt: *Petrus eſt Homo.* Negativa eſt, quando Copulæ Principali præfigitur Particula: *Non*, ùt: *Homo non eſt lapis.*

ARTICULUS III.

De Veritate Propoſitionis.

Veritas Propoſitio-

204. Veritas Propoſitionis eſt ejus Conformitas cum Objecto;

Digitized by Google

ſto; ſicut ejus Falſitas eſt ab Objecto Diſformitas. Cæterùm ad eam Veritatem, aut Falſitatem dignoſcendam ſtatuuntur à Dialecticis aliquæ Regulæ. *nis: Ejus Falſitas.*

205. Reg. 1. Propoſitio Affirmativa in Materia Neceſſaria ſemper eſt Vera. Ratio eſt; quia affirmat identitatem Prædicati cum Subjecto, quæ neceſſariò datur. Negativa in eadem Materia ſemper eſt Falſa; quia negat identitatem Prædicati cum Subjecto, quæ, ùt dictum eſt, neceſſariò datur. Viciſſim in Materia Impoſſibili Propoſitio Affirmativa ſemper eſt Falſa; quia itidem affirmat identitatem Prædicati cum Subjecto, quæ in ea Materia dari nequit. Negativa ſemper eſt vera; quia negat identitatem Subjecti cum Prædicato, quæ nunquam datur. In Materia Contingenti Propoſitio Affirmativa, & Negativa, poſſunt eſſe Veræ, aut Falſæ; quia, cùm identitas Prædicati cum Subjecto ſit contingens, poteſt ea affirmari, quando non datur, vel quando datur; ac viciſſim negari, etiam quando datur, aut non datur.

In Materia Neceſſaria;

In Materia Impoſſibili;

In Materia Contingenti.

206. Reg. 2. Propoſitio in Materia Neceſſaria non affirmat exiſtentiam Subjecti; ſed aſſerit realem identitatem Subjectum inter, & Prædicatum, duntaxat ex Conditione, ſcilicet: Si dentur. Hinc ſenſus iſtius Propoſitionis: *Homo eſt animal rationale*; eſt hic: Quandocunque exiſtit homo, eſt identificatus cum animali rationali; hinc vera eſſet Propoſitio, etiamſi nullus

Quid dicat Propoſitio Affirmativa in Materia Neceſſaria?

nullus homo exiſteret. Idem viciſſim eſt de Propoſitione Negativa in Materia Impoſſibili, quæ etiam ſolùm conditionatè negat identitatem Subjecti cum Prædicato. Sic ſenſus hujus Propoſitionis: *Homo non eſt Brutum*, non eſt hic: Exiſtit homo, & non eſt brutum; ſed iſte: Quandocunque exiſtit homo, non eſt identificatus cum bruto.

Aut Negativa in Impoſſibili.

Quid dicat Affirmativa in Materia Contingenti?

207. Reg. 3. Propoſitio Affirmativa in Materia Contingenti ſemper dicit tria: videlicet 1. Exiſtentiam Subjecti pro tempore per Copulam importato. 2. Exiſtentiam Prædicati pro eodem tempore. 3. Identitatem eorumdem inter ſe ſecundùm id, quod important in recto. Sic ſenſus hujus Propoſitionis: *Petrus eſt Logicus*; eſt iſte: Petrus exiſtit, & aliquis Logicus exiſtit, & Petrus eſt identificatus cum aliquo Logico. Falſæ propoſitiones, in Materia Contingenti, dicuntur: De Subjecto non ſupponente; quia ſupponunt aliquem ſtatum Subjecti, quem illud non habet. Hæc tamen intelligi debent de Propoſitione Particulari. Nam Propoſitio Univerſalis in Materia Contingenti non affirmat exiſtentiam Subjecti ſecundùm omnem ſuam latitudinem ſumpti. Hinc ſenſus iſtius propoſitionis: *Omnis Logicus ſtudet*; non eſt hic: Omnis Logicus poſſibilis de facto exiſtit, & ſtudet; ſic enim eſſet eſſentialiter falſa; cùm nunquam poſſint dari omnes Logici poſſibiles, utpote infiniti; Sed iſte: Exiſtit ſaltem unus, aut alter Lo-

Digitized by Google

Logicus, & ille, vel hi omnes, qui de facto exiſtunt, ſtudent. Quòd ſi nullus Logicus exiſteret; Propoſitio eſſet falſa, & de Subjecto non ſupponente.

208. Reg. 4. Ad veritatem Propoſitionis Negativæ, in Materia Contingenti, requiritur, & ſufficit, ut vel non detur exiſtentia unius, aut utriusque ex Rectis; aut non ſit inter ea identitas; vel non detur exiſtentia, aut unio obliquorum eô modô, quo per Contradictoriam affirmantur; unde hæc Propoſitio: *Petrus non eſt doctus;* facit hunc ſenſum: vel non exiſtit Petrus; vel non exiſtit doctrina; vel Petrus non eſt Subjectum doctrinæ. *Et Negativa itidem in Contingenti.*

209. Reg. 5. Ut Propoſitio Copulativa ſit Vera, requiritur, ut omnes Propoſitiones Simplices, ex quibus ea componitur, ſint veræ; & ſi vel una ex his eſt falſa, tota Propoſitio Copulativa haberi debet pro Falsa: Unde Falſa eſt hæc: *Ignis eſt elementum, & aqua eſt metallum.* Itidem ut Copulativa ſit Neceſſaria, oportet, ut omnia ejus membra ſint neceſſaria. Hinc Contingens eſt iſta: *Petrus eſt animal, & Paulus currit.* Ut ſit Impoſſibilis, ſufficit impoſſibilitas unius membri; vel, ut conjunctio membrorum repugnet. Sic impoſſibilis eſt iſta: *Petrus currit, & non movetur.* *Quando Copulativa ſit Vera.* *Quando ſit Neceſſaria;* *Vel Impoſſibilis.*

210. Reg. 6. Ad Veritatem Propoſitionis Disjunctivæ, ſi in ea ſubintelligatur Particula: *Saltem;* ſufficit, ſi unum ejus membrum ſit verum, & à fortiori vera *Quando Disjunctiva ſit Vera.*

erit, ſi utrumque membrum ſit verum; ùt hæc Propoſitio: *Vel Petrus currit, vel Paulus currit;* Vera eſt, dummodò Petrus currat, licèt Paulus non currat; & Vera etiam eſt, ſi uterque currat. Si verò tacitè habeat ſubjunctam Particulam: *Tantùm;* ut ea ſit Vera, requiritur Veritas unius membri, & Falſitas alterius; ùt: *Vel dies eſt, vel nox;* Senſus eſt: vel dies eſt tantùm; vel nox tantùm; nec enim dies, & nox, ſtant ſimul.

Quid requiratur ad veritatem Conditionalis;

211. Reg. 7. Propoſitio Conditionalis Affirmativa eſt Vera, modò inter Conditionem, & Conditionatum detur connexio, poſito, quòd hæc exiſtant, nec requiritur, ut actu exiſtant. Si Vera eſt illa Conditionalis Chriſti Matth. 11. ad Chorozaim, & Bethſaidam, urbes: *Si in Tyro, & Sydone, facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere, pænitentiam egiſſent.*

Vel Cauſalis;

Ut Cauſalis autem ſit Vera, præter Veritatem utriuſque Propoſitionis ſimplicis, requiritur inſuper, ut, quod dicitur eſſe cauſa alterius, verè ſit ejus cauſa. Hinc falſa eſt hæc: *Homo eſt rationalis, quia eſt ſenſitivus.*

Vel Modalis;

Pariter ad Veritatem Propoſitionis Modalis requiritur non tantùm Veritas Dicti, ſed etiam Modi; ſeu, non tantùm ut Prædicatum, quod affirmatur, inſit Subjecto; vel quod negatur, abſit à Subjecto; ſed etiam opus eſt, ut eô modô inſit, vel abſit, quo ineſſe, aut abeſſe affirmatur, vel negatur. Quare falſa eſt hæc Propoſitio: *Petrum currere, eſt neceſſe;*

ceſſe; quamvis Petrus currat; quia licèt Dictum ſit verum, Modus tamen eſt falſus. Denique ad Veritatem Propoſitionum Exponibilium requiritur, ut omnes Exponentes ſint Veræ. *Vel Exponibilis.*

212. Dices 1. contra Reg. 2. Hæc Propoſitio: *DEUS eſt immenſus*; eſt in Materia Neceſſaria, & tamen affirmat exiſtentiam Subjecti: Ergo non ſubſiſtit Secunda Regula.

R. D. A. Hæc Propoſitio affirmat exiſtentiam Subjecti, quod eſt indifferens ad exiſtendum, N. quod non eſt indifferens ad exiſtendum. C. A. & N. C. Noſtra Regula procedit de Subjectis, quæ poſſunt exiſtere, vel non exiſtere, quale non eſt DEUS; qui neceſſariò exiſtit; unde Propoſitio non ideò affirmat exiſtentiam Subjecti; quia eſt Neceſſaria; ſed quia Subjectum neceſſariò exiſtit.

213. Dices 2. Contra 3. Reg. Hæc Propoſitio: *Antichriſtus eſt cognitus*; eſt in Materia Contingente, éſtque vera; & tamen non affirmat exiſtentiam Subjecti: Ergo ſaltem non ſubſiſtit Tertia Regula.

R. D. rurſum A. Ea Propoſitio non affirmat exiſtentiam Subjecti, ſive Antichriſti, realem, & Phyſicam, C. Intellectualem. N. A. & C. affirmat enim Cognitionem Antichriſti, quæ Cognitio utique exiſtit.

ARTICULUS IV.

De Oppoſitione Propoſitionum.

NEceſſaria prorſus eſt cognitio Oppoſitionis Propoſitionum; tum ut Argumenta formentur, quæ plurima paſſim ex hoc Loco petuntur; tum ut ſolvantur Sophiſmata, itidem exinde confecta. Nos hic, uti aliàs, ea afferre conabimur, quæ non tam intellectum fatigent, quàm claritate, ac facilitate, juvent in Operationibus. Dicemus autem primò. Quid, & Quotuplex ſit Oppoſitio Propoſitionum; tum Leges dabimus Oppoſitarum Simplicium; ac denique de Oppoſitione Compoſitarum, ac Modalium erit agendum.

PARAGRAPHUS I.

Quid, & Quotuplex ſit Oppoſitio Propoſitionum?

214. ARiſtoteles L. 1. Perih. c. 4. Propoſitiones Oppoſitas eſſe definit: Oppoſitæ ſunt Affirmatio, & Negatio ejuſdem de eodem non æquivocè; id eſt; ſervata eadem Terminorum ſignificatione. Paſſim jam traditur hæc Deſcriptio, quam habet Gervaſius P. 2. Log.

Digitized by Google

q. 2. a. 6. Oppoſitio Propoſitionum, eſt duarum Propoſitionum idem Subjectum, & Prædicatum habentium, diverſitas, vel in Qualitate, vel in Quantitate, vel in Utraque ſimul. Quantitas Propoſitionis, ut ſuperiùs notatum, eſt ejus Univerſalitas, vel Particularitas; Qualitas verò eſt ejus Affirmatio, vel Negatio. Itaque ad Oppoſitionem requiritur 1. Ut ſint duæ Propoſitiones; nam una non poteſt ſibimet opponi. 2. Ad eandem ſtrictè ſumptam requiritur, ut iſtæ Propoſitiones habeant idem Subjectum, & idem Prædicatum; aliàs oppoſitæ non erunt; ſic oppoſitæ non ſunt: *Petrus currit; Paulus non currit.* Ex hinc autem requiritur. 3. Ut Extrema non ſumantur æquivocè. Ob iſtum defectum ſibi non opponuntur hæ Propoſitiones: *Petrus eſt Gallus*; videlicet natione; *Petrus non eſt Gallus*; utique gallinaceus. 4. Debet in utraque Propoſitione Copula ſignificare idem Tempus, ſumi in eodem Loco, ac itidem Tempore, in iiſdem Circumſtantiis, cum iiſdem Signis, Connotatis, Adverbiis, Reſtrictionibus, Ampliationibus, & ſi quæ ſint hujuſmodi; aliàs nulla prodibunt Oppoſita; qualia non ſunt: *Logicus ſcribit; Logicus non ſcribet. Paulus orat in Templo; Paulus non orat domi. Jacobus eſt pius; Jacobus non eſt valde pius. Æthiops eſt niger; Æthiops non eſt niger ſecundùm dentes.* Et ſic in reliquis ſimilis rationis. Ulteriùs 5. Sumi utraque Propoſitio debet in eodem gene-

Definitio Oppoſitio Propoſitionum.

Quænam ad eam requirantur?

genere Suppoſitionis; Hinc non ſunt Oppoſitæ Propoſitiones: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim; Aliquis Apoſtolus non eſt duodecim.* Cùm in prima Subjectum ſupponat Collectivè; in altera autem Disjunctivè. Excipi tamen ab hac Lege debet Suppoſitio Diſtributiva, ſive Univerſalis, & Disjunctiva, ſive Particularis; ùt in his Propoſitionibus: *Omnis homo currit; Aliquis homo non currit.* Ratio eſt; quia licèt hæ Suppoſitiones ſint diverſæ, non tamen faciunt Terminos diverſos; cùm Terminus Particularis contineatur ſub Univerſali; unde illæ Propoſitiones ſunt verè Oppoſitæ; quia negatur in Propoſitione Particulari aliquid, quod cum reliquis affirmatum fuit in Propoſitione Univerſali.

6. Denique ex Definitione Oppoſitarum colligitur, eas debere differere vel in Quantitate, vel in Qualitate, vel in Utraque ſimul, ùt mox explicabitur. Nam

Propoſitiones Oppoſitæ ſunt quadruplicis generis: Contradictoria.

215. Propoſitiones Oppoſitæ ſic definitæ rectè dividuntur in Contradictorias, Contrarias, Subcontrarias, & Subalternas. Ita cum Communiori, & recepto in Scholis uſu Semery Diſp. 2. c. 7. Contradictoriæ ſunt duæ Propoſitiones conſtantes eodem Subjecto, & Prædicato, repugnantes in Quantitate, & Qualitate; nimirum quarum una eſt Univerſalis, altera Particularis; una Affirmativa, altera Negativa; ùt: *Omnis homo currit; Aliquis homo non currit.*

Contraria.

Contrariæ ſunt duæ Propoſitiones Univerſales repugnantes in Qua-

Qualitate; quarum ſcilicet una eſt Affirmativa, Altera Negativa; ùt: *Omnis homo currit; Nullus homo currit.* Subcontrariæ ſunt duæ Propoſitiones Particulares repugnantes itidem in Qualitate; id eſt rurſum, quarum una eſt Affirmativa, altera Negativa; ùt ſunt hæ: *Aliquis homo currit; Aliquis homo non currit.* Subalternæ autem ſunt duæ Propoſitiones repugnantes in ſola Quantitate; ſcilicet quarum utraque eſt Affirmativa, vel utraque Negativa; ſed una eſt Univerſalis, altera Particularis; ùt: *Omnis homo currit; Aliquis homo currit.* Vel: *Nullus homo currit; Aliquis homo non currit.* Propoſitio Univerſalis dicitur Subalternans; Particularis autem Subalternata. Ex his duntaxat Contradictoriæ, & Contrariæ ſibi omnino ſtrictè opponuntur; quia hæ ſolæ ſemper ſervant Affirmationem, & Negationem, ac Conſtantiam ſubjecti, reliquæ duntaxat minùs ſtrictè ſunt Oppoſitæ; cùm Subcontrariæ quidem ſubinde non niſi repræſentativè ſervent Conſtantiam Subjecti, ùt dicetur infra; Subalternæ verò non involvant Oppoſitionem Affirmationis, & Negationis. Quod igitur du Trieu Tract. 2. P. 1. c. 3. a. 1. rotundè dicit: certum eſſe, Subalternas non opponi; cùm non ſint Affirmatio, & Negatio; intelligi debebit de Oppoſitione ſtricta, qualem accepit Ariſtoteles in Definitione ſuperiùs allata; non verò de Oppoſitione minùs ſtricta, videlicet ſolius Quantitatis; qualem

Subcontraria.

Subalterna.

lem Dialectici hodie adſtruunt paſſim, ut dictum eſt.

Oppoſita de Modo enuntiandi.

216. Hæc autem Diviſio eas duntaxat Oppoſitas continet, quæ pro Subjecto habent Terminum Communem, affectum Signô Univerſali, aut Particulari; ſumunturque inſuper in Numero Singulari; quia hæ vel ſolùm, vel potiſſimùm, curantur à Scientiis; quæ plerumque de Singularibus non agunt; vocantur autem iſtæ: Oppoſitæ de Modo enuntiandi. Cæterùm præter has dantur inſuper aliæ, quibus adducta ſuperiùs Definitio Oppoſitarum propriè convenit, ac quæ tamen non continentur in allata Diviſione; quia vel non habent Terminum Communem; vel non ſervant debitam Quantitatem, aut Qualitatem, aut in alio ex hucusque requiſitis deficiunt. Tales ſunt v.g. *Petrus eſt doctus; Petrus non eſt doctus. Omnes homines currunt; Non omnes homines currunt.* Vocantur iſtæ: Oppoſitæ de Lege; quia licèt eô, quo dictum nunc eſt, modô deficiant, ſervant tamen leges Oppoſitarum infra adducendas. Agetur hic maximè de prioribus, ad quarum normam aliæ facili negotiô poſſunt efformari. Videatur Tabula prima Oppoſitarum, inferiùs ad calcem Opuſculi poſita, in qua uno velut obtutu harum Oppoſitio poteſt examinari. Subjiciuntur etiam Tabulæ Oppoſitarum Singularium Simplicium, & Oppoſitarum Simplicium cum Caſu Obliquo.

Oppoſita de Lege.

PA-

PARAGRAPHUS II.

Leges Oppoſitarum Simplicium.

217. LEges Oppoſitarum hôc tandem Principio Phyſico nituntur, lumine naturæ noto: Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Ex eo autem aliud Principium, æquè certum, deſumitur, ſcilicet iſtud Logicum: Non poteſt idem de eodem verè affirmari, & negari; nam ad, *Eſſe*, ſequitur, *Dici*, ſeu Affirmari. Sic, ſi Petrus eſt, & dicitur doctus; non poteſt ſimul non eſſe, aut verè negari, eſſe doctus. His poſitis Particulares quarumvis Oppoſitarum Simplicium Leges percipiamus. *Principia, quibûs nituntur Leges Oppoſitarum.*

218. Lex 1. Contradictoriarum. Contradictoriæ, in nulla Materia, poſſunt ſimul eſſe Veræ, vel ſimul Falſæ. Ratio petitur ex Principio mox allato; quia nihil poteſt ſimul eſſe, & non eſſe: Atqui ſi utraque Propoſitio Contradictoria poſſet ſimul eſſe vera, vel ſimul falſa; idem ſimul eſſet, & non eſſet: Ergo Contradictoriæ non poſſunt ſimul eſſe veræ, vel ſimul falſæ. P. Min. Ex his duabus Contradictoriis: *Omnis homo currit; Aliquis homo non currit*; Si ultima eſt vera; tunc aliquis homo determinatus, e. g. Petrus non currit. Sed ſi etiam prima eſt vera; tunc omnes prorſus homines currunt; conſe- *Leges Contradictoriarum.*

 quen-

quenter etiam Petrus; ac proin, ſi utraque Propoſitio eſt vera; idem Petrus currit ſimul, & non currit; ſicque idem curſus Petri eſſet ſimul, & non eſſet. Hoc autem, ùt dictum, eſt impoſſibile. Sic etiam viciſſim eſt de Falſitate. Si enim prior hæc: *Omnis homo currit*, eſt falſa; tunc ideò eſt falſa; quia Aliquis ſaltem homo non currit; ponamus hunc eſſe Petrum. Si autem etiam hæc altera eſt falſa: *Aliquis homo non currit*; tunc ideò; quia omnis homo, nullo excepto, currit; conſequenter etiam Petrus; unde iterum, ſi utraque Contradictoria eſt Falſa, idem Petrus ſimul currit, & non currit; quod, ùt abundè jam dictum eſt, repugnat.

219. Lex 2. Contradict. In Contradictoriis Propoſitio Negativa præcisè tantum debet negare, quantum requiritur, & ſufficit, ad falſificandam Affirmativam; nec plus videlicet, nec minus; ſi enim plus, vel minus, neget; tunc ambæ poſſunt ſimul eſſe Veræ, vel Falſæ. Hinc non ſunt Contradictoriæ: *Omnis homo eſt doctus; Hic homo non eſt doctus*; quia poſterior plus negat, quàm requiratur ad falſificationem prioris. Ut enim falſum ſit, omnem hominem eſſe doctum; non requiritur, ut hic determinatus homo non ſit doctus; ſed ſufficit, modò unus quidam non ſit doctus, quiſcunque ille ſit. Unde utraque illa Propoſitio poteſt eſſe falſa, ſi nimirum hic quidem homo, qui deſignatur, ſit doctus; alius verò quiſpiam non ſit do-

doctus. Ob eandem viciſſim rationem Contradictoriæ non ſunt: *Omnis Logicus aliquando ſtudet; Aliquis Logicus aliquando non ſtudet*; Poſterior enim minùs negat, quàm requiratur ad falſificandam priorem; unde utraque poteſt ſimul eſſe Vera. Contradictoria autem prioris eſſet hæc: *Aliquis Logicus non aliquando ſtudet.*

220. Ex his Collig. 1. Ex Veritate unius Contradictoriæ bene inferri Falſitatem alterius, in omni Materia; & rurſum ex unius Falſitate alterius Veritatem. Sic ſi verum eſt; quòd aliquis homo non currat; falſum hoc ipſo eſt, quòd omnis homo currat. Coll. 2. has Propoſitiones: *Petrus eſt doctus; Petrus non eſt doctus*; eſſe Contradictorias de Lege, non autem de Modo enuntiandi; quia, licèt non diſcrepent in Quantitate, ſervant tamen Leges adductas Contradictoriarum. Cùm non poſſint ſimul eſſe veræ, nec ſimul falſæ; & non plus, vel minus negent, quàm præcisè requiratur, ac ſufficiat ad falſificandam priorem. *Colligenda ex Legibus Contradictoriarum.*

221. Lex 1. Contrariarum. Propoſitiones Contrariæ, in nulla Materia, poſſunt eſſe ſimul Veræ. P. rurſum ex Principio ſupra adducto; quia aliàs idem eſſet, & non eſſet. Si enim hæc Propoſitio Affirmativa: *Omnis homo currit*; eſt vera; ſequitur, quòd etiam Petrus currat. Et ſi vera etiam eſt hæc Negativa; *Nullus homo currit*; ſequitur, quòd etiam Petrus non *Leges Contrariarum.*

non currat; ac proin, ſi utraque eſt ſimul vera, Petrus iterum ſimul currit, & non currit; ſive, idem ſimul eſt, & non eſt.

222. Lex. 2. Contrar. Contrariæ in Materia Neceſſaria, & Impoſſibili, non tantùm non poſſunt ſimul eſſe Veræ, ſed neque ſimul Falſæ. Pars prima, videlicet, quòd non poſſint ſimul eſſe Veræ, patet ex ſuperiori Regula. Pars ſecunda, ſive quòd non poſſint ſimul eſſe Falſæ, Probatur. Si Propoſitio ſit in Materia Neceſſaria; Prædicatum neceſſariò convenit Subjecto: Ergo Affirmativa non poteſt eſſe falſa. Si verò Propoſitio ſit in Materia Impoſſibili; Prædicatum nulla ratione poteſt convenire Subjecto: Ergo Negativa itidem non poteſt eſſe falſa, ùt jam ſupra in Regulis de veritate Propoſitionis eſt notatum.

223. Lex 3. Contrar. Contrariæ, in Materia Contingenti, poſſunt ambæ ſimul eſſe Falſæ. P. Si dico: *Omnis homo currit*; poſito, quòd Petrus non currat; ea Propoſitio erit falſa. Si verò dico Contrariam: *Nullus homo currit*; poſito, quòd Paulus currat; etiam hæc erit falſa: Ergò, cùm Prædicatum: *Currit*; ſit Contingens, poſſitque ſimul convenire Paulo, quin conveniat Petro, ita ut ille currat, non verò iſte; utraque illa Contraria, eo caſu, erit ſimul Falſa.

Colligenda ex Legibus Contrariarum.

224. Ex his Colliges: Ex Veritate unius Contrariæ, bene inferri Falſitatem alterius, in quacunque Materia; quia Contrariæ in nulla poſſunt ſimul eſſe Veræ. In

Ma-

Materia Contingenti, ex Falſitate unius, non poteſt inferri Veritas alterius; quia in Materia Contingenti utraque poteſt ſimul eſſe Falſa. In Materia tamen Neceſſaria, vel Impoſſibili, ex Falſitate unius, licet inferre Veritatem alterius; quia in hac Materia non poteſt utraque ſimul eſſe Falſa.

225. Lex 1. Subcontrariarum. Propoſitiones Subcontrariæ, in nulla Materia, poſſunt ſimul eſſe Falſæ. P. Si eſſent ſimul falſæ hæ duæ Propoſitiones Subcontrariæ: *Aliquis homo currit; Aliquis homo non currit;* neceſſariò eſſent ſimul veræ earum Contradictoriæ, nempe iſtæ: *Nullus homo currit; Omnis homo currit:* Sed iſtæ non poſſunt ſimul eſſe veræ; quia ſunt duæ Contrariæ; Contrariæ autem, in nulla Materia, poſſunt ſimul eſſe veræ; ùt dictum eſt: Ergo neque duæ Subcontrariæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ. *Leges Subcontrariarum.*

226. Lex. 2. Subcontr. Subcontrariæ, in Materia Neceſſaria, & Impoſſibili, non poſſunt ſimul eſſe Falſæ, nec ſimul Veræ. Primum membrum conſtat ex priore Numero. Secundum probatur. Si dicas, duas haſce Subcontrarias, in Materia Neceſſaria, & Impoſſibili: *Aliquis homo eſt animal; Aliquis homo non eſt animal;* eſſe ſimul veras; ſequitur, earum Contradictorias eſſe ſimul falſas; nempe has: *Nullus homo eſt animal; Omnis homo eſt animal;* quia una ex Contradictoriis eſt neceſſariò falſa; Sed hoc eſt impoſſibile;

ſibile; quia hæ duæ Propoſitiones Univerſales ſunt Contrariæ; quas oſtendimus, in Materia Neceſſaria, & Impoſſibili, non poſſe ſimul eſſe falſas: Ergo nec Propoſitiones Subcontrariæ, in eadem Materia, poſſunt ſimul eſſe Veræ.

227. Lex 3. Subcontr. Subcontrariæ, in Materia Contingente, poſſunt ſimul eſſe Veræ. Patet; Sic hæ duæ Propoſitiones: *Aliquis homo currit*; *Aliquis homo non currit*; ſunt Subcontrariæ, & poſſunt ſimul eſſe veræ; ſi nimirum Petrus e. g. currat, Paulus autem non currat. Ratio hujus eſt; quòd, cùm Prædicatum ſit Contingens reſpectu Subjecti; illud uni poteſt ineſſe, & alteri non ineſſe; ùt etiam ſupra jam eſt indicatum.

Colligenda ex Legibus Subcontrariarum.

228. Hinc Coll. Ex Falſitate unius Subcontrariæ bene inferri Veritatem alterius, in quacunque Materia; cùm nunquam poſſint ambæ ſimul eſſe Falſæ. In Materia verò Neceſſaria, & Impoſſibili, ex Veritate unius legitimè inferri Falſitatem alterius; quia in ea Materia non poſſunt ſimul eſſe Veræ. In Materia tamen Contingenti, ex Veritate unius, non bene infertur Falſitas alterius; quia, in hac Materia, poſſunt ambæ ſimul eſſe Veræ.

Leges Subalternarum.

229. Lex 1. Subalternarum. Si Subalternans eſt Vera, non poteſt Falſa eſſe Subalternata, in ulla Materia; quia Subalternata, ſeu Particularis, continetur in Subalternante, ſeu in Univerſali. Sic

ſi

ſi verum eſt, quòd Omnis homo ſit doctus; etiam verum eſt, quòd Aliquis homo ſit doctus.

230. Lex 2. Subaltern. Si Falſa eſt Subalternata, falſa etiam eſt Subalternans. P. Quia, ſi falſum eſt, quòd Aliquis homo ſit doctus, etiam falſum eſt, quòd Omnis homo ſit doctus; aliàs, ſi Aliquis homo non eſſet doctus, e. g. Petrus, ùt dicit prima Propoſitio, & tamen Omnis homo eſſet doctus; ùt dicit ſecunda; conſequenter etiam Petrus; idem Petrus ſimul eſſet doctus, & non eſſet doctus; quod implicat Contradictionem.

231. Lex 3. Subaltern. Si Vera eſt Subalternata, Falſa tamen eſſe poteſt Subalternans, in Materia Contingente. P. Quia, cùm Prædicatum ſit Contingens, poteſt convenire uni ex Inferioribus, quin conveniat omnibus; hinc licèt verum ſit, Aliquem hominem eſſe doctum; falſum tamen eſſe poteſt, Omnem hominem eſſe doctum. Aliter accidit in Materia Neceſſaria, in qua, quod convenit uni, neceſſariò convenit omnibus. Viciſſim, ſi Falſa eſt Subalternans. Vera tamen poterit eſſe Subalternata, in Materia Contingente; poterítque contingere, ut non quidem Omnis homo ſit doctus; Aliquis tamen homo ſit doctus.

232. Ex his Coll. 1. Ex Veritate Propoſitionis Subalternantis, bene inferri Veritatem Propoſitionis Subalternatæ, in quavis Materia. Sic enim legitima eſt Illatio: *Colligenda ex Legibus Subalternarum.*

tio: *Omnis homo eſt doctus: Ergo aliquis homo eſt doctus*; cùm: *Aliquis*, contineatur ſub, *Omni.* Coll. 2. Ex Falſitate Propoſitionis Subalternatæ rectè inferri Falſitatem Propoſitionis Subalternantis, rurſum in quavis Materia. Sic ſi falſa eſt hæc Propoſitio: *Aliquis homo currit*; etiam falſa eſt hæc: *Omnis homo currit*; ex ea denuo ratione, quòd, *Aliquis*, contineatur ſub, *Omni.* Coll. 3. Ex Veritate Propoſitionis Subalternatæ, malè inferri Veritatem Propoſitionis Subalternantis; Sic enim non poſſum dicere: *Aliquis homo eſt doctus: Ergo omnis homo eſt doctus.* Coll. 4. Ex Falſitate Propoſitionis Subalternantis, malè itidem inferri Falſitatem Propoſitionis Subalternatæ, in Materia Contingente; bene autem in Materia Neceſſaria; licèt enim falſa ſit hæc Propoſitio: *Omnis homo eſt doctus*; non ſequitur, falſam eſſe iſtam: *Aliquis homo eſt doctus.* Econtra autem, ſi vera eſt hæc: *Aliquis homo eſt Animal*; nimirum quia animal eſt de eſſentia hominis; vera etiam erit hæc: *Omnis homo eſt animal*; nam nullus poteſt eſſe homo, quin habeat omnia, quæ ſunt de eſſentia hominis.

Leges Oppoſitarum in Compendio.

233. Leges Oppoſitarum, à Mæderio in Ariadne Dialect. Diſp. 2. ſect. 4. a. 2. breviter, velut in pugnum, ferè ſic colliguntur: Contradictoriæ non poſſunt ſimul eſſe Veræ, vel Falſæ. Contrariæ non poſſunt eſſe ſimul Veræ; poſſunt tamen ſimul eſſe Falſæ in Materia Contingente tan-

tantùm. Subcontrariæ non poſſunt ſimul eſſe Falſæ; in Materia tamen contingente poſſunt ſimul eſſe Veræ. Subalternæ poſſunt ſimul eſſe Veræ, vel Falſæ. Sed hac ipſa de re videri poteſt Tabula Undecima inferiùs ad calcem Opuſculi ſubjecta.

Solvuntur Objectiones Contra Regulas Contradictoriarum.

234. UT Propoſitiones Oppoſitæ faciliùs dignoſcantur, & ad Objectiones comodiùs reſpondeatur, diligenter recolenda ſunt, quæ ſuperiùs de Oppoſitis univerſim notavimus initiò Paragraphi primi hujus Articuli; ac videlicet ſedulò attendendum, an idem habeant Prædicatum, & Subjectum, & an eodem modo, ac in eadem ſignificatione, & Suppoſitione utraque Propoſitio accipiatur, ac reliqua ejuſmodi; unde præter allata ibidem exempla, ſequentes Propoſitiones non ſunt Contradictoriæ.

235. Primò: *Omnis Canis latrat*; nimirum terreſtris, ſeu Animal latrabile: *Aliquis Canis non latrat*; nimirùm cæleſtis, ſeu Stella, quæ Canis vocatur; nam in his Subjectum non eſt idem, ſed ſunt Termini diverſi; quia Terminus hic Æquivocus, *Canis*, alio ſenſu accipitur in prima Propoſitione, & alio in ſecunda.

2. *Omnis Homo eſt albus: Aliquis Homo non eſt niger.* Item: *Angelus eſt DEUS: Angelus non eſt DEUS;* quia in his non datur idem Prædicatum. 3. *Homo eſt Animal: Animal non eſt Homo;* quia non eſt unum idémque Subjectum, & Prædicatum in utraque Propoſitione. 4. *Homo eſt doctus: Homo non eſt doctus;* quia aut æquivalent Particularibus; cùm ſint Propoſitiones Indefinitæ in Materia Contingenti; aut poteſt ſub uno Homine Petrus, ſub altero Paulus intelligi, & ſic evadet utraque ſingularis, nec ſervabunt idem Subjectum. 5. *Omnis Homo eſt omnis Homo: Aliquis Homo non eſt omnis Homo;* nam in prima Propoſitione Subjectum accipitur Collectivè, in altera Disjunctivè, id quod etiam contingit in his: *Omnia Elementa ſunt quatuor: Aliqua Elementa non ſunt quatuor.*

236. Dein neque ſunt Contradictoriæ hæ: 6. *Nullum Animal eſt genus: Aliquod Animal eſt genus;* tranſitur enim à Suppoſitione Perſonali ad Simplicem. Item: *Homo eſt ſpecies: Homo non eſt ſpecies,* ubi econtrariò à Suppoſitione Simplici tranſitur ad Perſonalem; nam harum ſenſus eſt: Homo Secundò-Intentionaliter ſumptus, ſeu Confusè cognitus eſt ſpecies: Homo Primò-Intentionaliter ſumptus, & absque tali cognitione non eſt ſpecies, quod utrumque pariter verum eſt. 7. *Omnis Logicus diſputat: hic Logicus non diſputat;* quia hìc Suppoſitio Diſtri-

Diſtributiva mutatur in Singularem. 8. *Alexander eſt Magnus Imperator : Alexander non eſt magnus Imperator*; quia, *Magnus*, in prima appellat ſignificatum formale Imperatoris, ſeu dicit: Alexandrum quà Imperatorem eſſe magnum; in Secunda autem ſignificatum materiale; ſeu dicit: Alexandrum ſecundùm corpus, & externam ſpeciem, non eſſe magnum. Eſſent autem Propoſitiones hæ poſtremæ Contradictoriæ, ſi in utraque, *Magnus*, acciperetur in eadem Appellatione.

237. Obj. jam 1. contra primum membrum Regulæ primæ Contradictoriarum, quòd ſcilicet Contradictoriæ in nulla Materia poſſint ſimul eſſe Veræ. Hæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ: *Omnis Gallus eſt homo; Aliquis Gallus non eſt homo*; nimirum gallinaceus. Et hæ: *Omnis Leo eſt animal; Aliquis Leo non eſt animal*; nimirum Leo Cœleſtis: Sed hæ ambæ poſſunt ſimul eſſe Veræ: Ergo Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Veræ.

R. N. Maj. In his enim Propoſitionibus non ſervatur Conſtantia Subjecti; nec Termini ſumuntur in eadem Suppoſitione; quod tamen ſuperiùs ad Oppoſitionem ſtrictam requiſivimus; In prima namque Propoſitione Nomen: *Gallus*; ſumitur pro homine; In altera verò pro volucre, & conſequenter non ſumitur Univocè, ſed ſumitur Æquivocè; unde mirum non eſt, ambas eſſe Veras. Idem de poſterioribus duabus eſt dicendum.

238. Obj. 2. Iſtæ ſunt Contradictoriæ: *Omne animal fuit in Arca Noë; Aliquod Animal non fuit in Arca Noë*, nimirum tuus Canis. Item: *Omnis homo concipitur in peccato originali; Aliquis homo non concipitur in peccato originali*; videlicet Beatiſſima Virgo Maria. Sed iſtæ ſunt omnes ſimul Veræ: Ergo.

R. N. Maj. In his quippe iterum non ſervatur eadem Suppoſitio; cùm in Propoſitionibus Affirmativis Termini: *Homo*, & *Animal*, ſumantur in ſenſu Accommodo, & non pro omnibus Individuis ſine omni exceptione; in Propoſitionibus verò Negativis iidem Termini non ſumantur in ſenſu Accommodo, ſed ſumantur in Abſoluto.

239. Obj. 3. Hæ ſunt Contradictoriæ: *Nullus cæcus videt; Aliquis cæcus videt*; videlicet ille, cui Chriſtus aperuit oculos: Sed hæ rurſum ſimul ſunt veræ: Ergo. Par eſt ratio de iſtis: *Nullus claudus ambulat: Aliquis claudus ambulat*; nimirum itidem, cui Chriſtus pedes firmavit.

R. N. Maj. In prima enim: *Cæcus*; ſervat Statum; in ſecunda autem ſumitur Ampliativè, & ſenſus eſt: Qui fuit cæcus, videt. Eadem eſt reſponſio ad Propoſitiones ſecundô locô allatas; nam in prima quidem, *Claudus*; ſervat ſtatum; non autem in ſecunda.

240. Obj. 4. Iſtæ Propoſitiones ſunt ſimul veræ: *Nullus ſtans poteſt ſedere: Aliquis*

Aliquis ſtans poteſt ſedere: Atqui iſtæ ſunt Contradictoriæ: Ergo Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Veræ.

R. D. Maj. Iſtæ Propoſitiones ſunt ſimul veræ, ſi una ſumatur in ſenſu compoſito, & altera in ſenſu diviſo, C.Maj. ſi ambæ ſumantur in ſenſu compoſito, vel ambæ in ſenſu diviſo. N. Maj. & D. Min. Atqui iſtæ ſunt Contradictoriæ, ſi ambæ ſumantur in ſenſu compoſito, vel ambæ in ſenſu diviſo, C.Min. ſi una ſumatur in ſenſu compoſito, & altera in ſenſu diviſo. N. Min. & Conſ. Si, *ſtans*, ſemel accipitur in ſenſu compoſito, ſemel in ſenſu diviſo ſtationis, primæ Propoſitionis ſenſus eſt: Nullus ſtans poteſt ſedere in ſenſu compoſito ſtationis; id eſt, nullus poteſt ſimul ſtare, & ſedere. Secundæ Propoſitionis ſenſus eſt: Aliquis ſtans poteſt ſedere in ſenſu diviſo ſtationis: hoc eſt, qui ſtat, poteſt ſedere, quando non ſtat ſimul. Atque tunc eæ Propoſitiones ſunt quidem ſimul veræ, ſed non ſunt Contradictoriæ; hoc ipſo rurſum, quòd mutent ſtatum.

241. Obj. 5. Hæ ſunt Contradictoriæ: *Omne, quod moritur, eſt Animal: Aliquid, quod non moritur, eſt Animal:* Sed hæ ſunt ſimul veræ: Ergo Contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul Veræ.

R. N. Maj. Ambæ enim ſunt Affirmativæ; quia Particula, *Non*, non afficit principalem Copulam, *Eſt*, ſed duntaxat Copulam minùs principalem, *Moritur*, ſeu,

eſt moriens. Ad hoc autem, ut Propoſitio ſit Negativa, debet particula, *Non*, ipſam Copulam principalem afficere; ut jam ſcimus ex num. 1. & 93. quare altera Propoſitio, ut ſit contradictoria prioris, ſic debet formari: *Aliquid, quod moritur, non eſt Animal.*

242. Obj. 6. Contra membrum ſecundum Regulæ primæ, quòd ſcilicet Contradictoriæ in nulla Materia poſſint ſimul eſſe Falſæ. In caſu, quo nullus Homo exiſteret, utraque ſequens Propoſitio, utpote de Subjecto non ſupponente, falſa erit: *Omnis Homo currit; Aliquis Homo non currit*: Sed hæ ſunt Propoſitiones Contradictoriæ: Ergo Propoſitiones Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ. Min. P. dictæ Propoſitiones differunt in quantitate, & qualitate, ſervántque eoſdem Terminos, & ſunt in eadem Suppoſitione; ergo dictæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ.

R. N. Maj. & dico, quòd in hoc caſu Propoſitio Particularis Negativa ſit Vera; quia juxta Regulam quartam de Veritate Propoſitionum facit hunc ſenſum: *Vel non exiſtit Homo: Vel aliquis exiſtens non currit*; cujus Propoſitionis primum membrum in poſito caſu verum eſt; quod ſufficit ad veritatem Propoſitionis disjunctivæ; conſequenter allatæ Propoſitiones non ſunt ſimul Falſæ, ſed Univerſalis Falſa, Particularis autem Vera, & hoc ipſo Contradictoriæ. Sed

243. Dices 1. Poſitò, quòd tres Homines

mines tantùm exiſterent; & currerent, Falſa erit utraque illa Propoſitio: Ergo cùm ſint Contradictoriæ, Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ. Ant. P. Falſum inprimis eſt, aliquem Hominem non currere, cùm ponantur omnes tres currere, & ſimul etiam falſum eſt, quòd omnis Homo currat, cùm falſum ſit, quòd tres Homines ſint omnis Homo: Ergo utraque eſt falſa.

R. N. A. ad P. N. iterum A. quò ad ſecundum membrum. Rationem additam D. tres Homines non ſunt omnis Homo tam exiſtens, quàm poſſibilis, C. Non ſunt omnis Homo exiſtens. N. In hoc igitur caſu, quo tres Homines exiſterent, & currerent, Falſa quidem eſt hæc Propoſitio: *Aliquis homo non currit*; cùm ponatur in caſu, nullum Hominem exiſtere, qui non currat. Vera autem hæc: *Omnis Homo currit*: quia duntaxat enuntiat omnem Hominem exiſtentem currere, quod in iſto caſu verum eſt.

244. Dices 2. Saltem in caſu, quo ſolus Adamus exiſteret, & curreret, utraque illa Propoſitio erit Falſa: Ergo verum manet, ambas poſſe ſimul eſſe Falſas. Ant. P. Falſa inprimis eſt hæc Propoſitio: *Aliquis Homo non currit*; quæ habet hunc ſenſum: Vel non exiſtit aliquis Homo, vel aliquis exiſtens non currit; quod utrumque falſum eſt; quia ponitur unus exiſtere, & ille currere. Atqui etiam Falſa eſt altera, nempe Affirmativa: Ergo

utraque Falſa eſt. Propoſitio hæc ſubſumpta P. Propoſitio Univerſalis Affirmativa in Materia Contingenti affirmat exiſtentiam ſui Subjecti; unde Propoſitio hæc Affirmativa Univerſalis: *Omnis Homo currit*, ut ſit vera, debet habere hunc ſenſum: Exiſtunt ſaltem plures Homines, & currunt: ſed hoc eſt falſum; quia in caſu ponitur, ſolum Adamum exiſtere: Ergo falſum eſt, quòd omnis Homo currat.

R. N. A. ad Prob. C. primam Propoſitionem, & N. alteram ſubſumptam. Ad hujus P. D. Maj. Propoſitio Affirmativa Univerſalis in Materia Contingenti affirmat exiſtentiam Subjecti diſtributivè, & ſecundùm omnem ſuam latitudinem ſumpti, N. Maj. Affirmat exiſtentiam Subjecti indefinitè, & disjunctivè ſumpti, C. Maj. & conceſſa Min. D. Conſequens: Ergo falſum eſt, quòd omnis Homo currat, ſi, *Omnis Homo*, ſumatur diſtributivè, & ſecundùm omnem ſuam latitudinem, C. C. ſi ſumatur indefinitè, & disjunctivè. N. Conſequentiam. Notatum jam eſt ſuperiùs, dum agebamus de Veritate Propoſitionis ad Finem Regulæ tertiæ, quòd Propoſitio Univerſalis in Materia Contingente non affirmet exiſtentiam Subjecti, ſecundùm omnem ſuam latitudinem ſumpti; ſed ſolùm indefinitè, ita ut ſenſus ſit: Exiſtit Homo, & omnis exiſtens currit; Vel ad ſummum illud affirmet disjunctivè, ita ut ſenſus ſit: Exiſtit ſaltem unus, aut alter

Homo,

Homo, & hic, ille, vel hi omnes, qui de facto exiſtunt, currunt.

245. Dices 3. Si unus tantùm Homo exiſteret, & curreret ineptè diceretur; *Omnis Homo currit:* Ergo hæc Propoſitio ſupponit plures Homines exiſtere, conſequenter non poteſt ſic exponi: Exiſtit unus, vel plures Homines.

R. D. A. Ineptè diceretur: Omnis Homo currit, juxta communem loquendi modum, quo ordinariè per, *Omnis*, ſolemus plures indicare, Tranſ. A. Ineptè hoc diceretur ſtrictè, ac in rigore Logico loquendi. N. A. & Conſ. Si unus tantùm exiſteret, & curreret, etiam juxta communem loquendi modum non eſſet inepta hæc Propoſitio: *Nullus exiſtens Homo non currit:* Ergo nec inepta eſt, ſaltem logicè, hæc altera: *Omnis Homo exiſtens currit;* quia hæc Propoſitio priori logicè æquivalet.

246. Dices 4. Etiam in rigore Logico, & ſtrictè loquendo hæc Propoſitio: *Omnis Homo currit*, plus dicit, quàm iſta: *Aliquis Homo currit;* cùm ſint duæ Propoſitiones Subalternæ, quæ in quantitate differunt: Sed, *Aliquis*, ſaltem unum dicit: Ergo, *Omnis*, debet plures dicere.

R. D. Maj. Plus dicit determinatè, N. Maj. plus dicit tantùm indeterminatè. C. Maj. & conceſſa Min. D. Conſequens: Ergo, *Omnis*, debet plures dicere determinatè, N. C. indeterminatè. C. Conſe-

quentiam. *Omnis*, enim, ùt jam ſuperiùs indicatum eſt, in illa Propoſitione indeterminatè dicit: Vel exiſtunt plures, vel ſaltem unus, & hi omnes, qui defacto exiſtunt, currunt.

247. Obj. 7. Iſtæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ: *Scio, Salomonem eſſe damnatum: Scio, Salomonem non eſſe damnatum. Puto te eſſe probum: Puto te non eſſe probum*: Sed hæ ſunt ſimul Falſæ: Ergo contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul Falſæ.

R. N. Maj. Omnes enim illæ Propoſitiones ſunt affirmativæ; quia negatio non cadit in ſecunda, & quarta Propoſitione ſupra Copulas Principales, quæ includuntur in his vocibus, *Scio*, *Puto*. Unde ut ſint Contradictoriæ, ſic poni debent: *Scio, Salomonem eſſe damnatum: Non ſcio, Salomonem eſſe damnatum. Puto te eſſe probum: Non puto, te eſſe probum.* Et ſic nunquam ambæ erunt aut ſimul Veræ, aut ſimul Falſæ.

248. Obj. 8. Hæ Propoſitiones: *Omnis Equus rationalis eſt Animal: Aliquis Equus rationalis non eſt Animal*, ſunt ſimul Falſæ: Sed ſunt Contradictoriæ: Ergo Contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul Falſæ. Maj. P. inprimis falſa eſt Propoſitio Affirmativa; quia eſt de Subjecto non ſupponente: Sed Falſa etiam eſt Negativa: Ergo utraque eſt Falſa. P. Propoſitio hæc ſubſumpta. Propoſitio Negativa, utpote ex parte Prædicati inferens ſenſum

ne-

neceſſarium, cùm Ens ſenſitivum, etſi non irrationale, non contingenter, ſed neceſſariò ſit Animal; habet hunc ſenſum: *Quando exiſtit Equus rationalis, non eſt Animal:* atqui hæc eſt Falſa; nam etſi Equus eſſet rationalis, tamen eſſet Animal: Ergo Negativa quoque Falſa eſt; conſequenter utraque.

Reſpondent aliqui 1. N. Maj. ad hujus P. dicunt; Si hæ Propoſitiones quoad exiſtentiam exponendæ ſint conditionatè, hoc ipſo primam Propoſitionem eſſe Veram; quia ejus ſenſus erit: *Quando exiſtit Equus rationalis, exiſtit Animal*; nam juxta ipſos Propoſitio Conditionalis vera eſt, etſi conditio, & conditionatum repugnent; altera autem Propoſitio erit Falſa: conſequenter erunt Contradictoriæ.

R. 2. Cùm Propoſitio Affirmativa: *Omnis Equus rationalis eſt Animal*, ex parte Subjecti videatur implicitè affirmare, Equum eſſe rationalem, poteſt illa habere etiam hunc ſenſum: quando exiſtit Equus, exiſtit rationale, & exiſtit Animal, & Animal eſt identificatum cum Equo rationali. Propoſitionis igitur Negativæ hic erit ſenſus: Quando exiſtit Equus, vel non exiſtit rationale, vel non exiſtit Animal, vel Animal non eſt identificatum cum Equo rationali. Et ſic prima Propoſitio erit Falſa; quia primum membrum falſum eſt, quod ſufficit ad falſificandam Propoſitionem Copulativam; ſecunda autem

Digitized by Google

tem erit Vera, quia verum eſt primum ejus membrum, quod pariter ad veritatem Propoſitionis Disjunctivæ ſufficit. Eodem proportionaliter modô reſpondendum ad ſimiles Propoſitiones e. g. *Omnis Corvus albus eſt Animal: aliquis Corvus albus non eſt Animal.*

249. Obj. 9. Iſtæ ſunt Contradictoriæ: *Omne ambulans movetur: Aliquod ambulans non movetur:* atqui ſunt ſimul Falſæ, ſuppoſito, quòd nemo ambulet: ergo contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ. Min. P. prima Propoſitio affirmat ambulantem de facto moveri, quod falſum eſt, hoc ipſo, quòd nemo ambulet; altera negat genus de ſua ſpecie, quod pariter verum eſſe nequit: Ergò ambæ ſunt ſimul Falſæ.

R. C. Maj. N. Min. ad P. N. A. quoad primum membrum & dico: Propoſitionem Affirmativam eſſe veram; cùm ſit in Materia Neceſſaria; quia prædicatur genus de ſua ſpecie, hoc eſt, moveri, de ambulante; eſt autem de eſſentia omnis ambulantis, ut ſit motum; conſequenter ſive ambulans exiſtat, ſive non, vera erit Propoſitio Affirmativa; quia non affirmat exiſtentiam Subjecti abſolutè, ſed duntaxat conditionatè, ita ut ejus ſenſus ſit: *Omne ambulans, ſi exiſtit, movetur;* quæ etiam Vera eſt, nemine ambulante. Quare ejus Contradictoria pariter debet facere hunc ſenſum: *Aliquod ambulans, ſi exiſtit, non movetur*, quæ Propoſi-

poſitio, quia negat genus de aliquo ſub genere contento, eſt Falſa: Ergo Propoſitiones illæ non ſunt ſimul Falſæ; ſed una eſt vera, & altera Falſa, ſúntque verè Contradictoriæ.

250. Obj. 10. Hæ Propoſitiones: *Anti-Chriſtus diſtat à me: Anti-Chriſtus non diſtat à me*, ſunt ſimul Falſæ: atqui ſunt Contradictoriæ de lege: Ergo Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ.

R. Cùm ſicut ratio Suppoſitionis, ita etiam ratio Contradictionis ex intentione proferentis haud raró dependeat, & deſumi debeat, hoc ipſo, quòd Propoſitiones aliquæ in uno ſenſu veræ eſſe poſſint, quæ falſæ ſunt in alio; optimè reſpondebis, ſi quæras ex proferente tales Propoſitiones, quid intelligat per: *à me non diſtat?* Si igitur hæc Propoſitio accipiatur in ſenſu merè negativo, habebit hunc ſenſum: *vel Anti-Chriſtus non exiſtit, vel non diſtat à me.* In quo ſenſu hæc Propoſitio Vera eſt; quia duntaxat disjunctivè negat vel exiſtentiam Anti-Chriſti, vel ejus diſtantiam à me; non datur autem exiſtentia Anti-Chriſti, ùt ponimus, & hinc Propoſitio, utpote disjunctiva, jam eſt Vera, cùm unum ejus membrum ſit verum. Prima autem eſt Falſa; quia itidem, cùm ſit in Materia Contingenti, copulativè affirmat exiſtentiam Anti-Chriſti, & ejus à me diſtantiam: Et ſic dictæ Propoſitiones, ſi in iſto ſenſu acciperentur, eſſent verè Contradictoriæ. Quia verò particula, *Non*, in ſecunda

cunda Propoſitione tam ab indoctis, quàm à doctis non merè negativè, ſed infinitanter plerumque accipitur, ita ut ejus ſenſus ſit: *Anti-Chriſtus eſt indiſtans à me, ſeu eſt propinquus mihi*, concedo, ambas eo ſenſu eſſe Falſas; ſed nego, tunc eſſe Contradictorias; quia mutatur Prædicatum; ſenſus enim primæ Propoſitionis juxta communem acceptionem eſt: *Anti-Chriſtus occupat locum remotum à me*, & ſecundæ ſenſus eſt: *Anti-Chriſtus occupat locum vicinum mihi:* unde in hoc communi ſenſu utraque eſt potiùs Affirmativa.

251. Obj. 11. Hæ ſunt Propoſitiones Contradictoriæ: *Omnis Miles in omni Legione eſt ſtrenuus: Aliquis Miles in omni Legione non eſt ſtrenuus.* Item etiam hæ: *Omnis Equus cujuslibet Domini eſt albus: Aliquis Equus cujuslibet Domini non eſt albus:* atqui hæ ſunt ſimul Falſæ in caſu, quo tantùm in una Legione unus Miles non ſit ſtrenuus; & unius tantùm Domini unus Equus non ſit albus: Ergo duæ Propoſitiones contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul Falſæ.

R. N. Maj. Non datur enim debita repugnantia in quantitate, quia in tota quantitate non opponuntur: ut enim hoc fieret, deberent Termini iſti, *Legio*, & *Dominus*, qui ſtant in primis Propoſitionibus univerſaliter, in poſterioribus ambo ſtare particulariter. Unde Contradictoria primæ ſic formanda eſt: *Aliquis Miles in aliqua legione non eſt ſtrenuus*, & Contradicto-

dictoria ſecundæ erit iſta: *Alicujus Domini aliquis Equus non eſt albus.* Ac univerſim diligenter attendendum eſt, ad quantitatem tam Termini Recti, quàm Termini Obliqui, ut nempe tam ſecundùm Rectum, quàm ſecundùm Obliquum in Contradictoria ponatur Oppoſitio quantitatis; hinc itidem negatur, has eſſe Contradictorias: *Omne album aliqua albedine eſt album: Aliquod album aliqua albedine non eſt album.* Sed primæ Contradictoriam aſſignant hanc: *Aliquod album non aliqua albedine, ſeu nulla albedine eſt album.*

252. Dices 1. Si in Oppoſitione ſigna Univerſalia mutari debent in Particularia, & Particularia in Univerſalia, tunc hæ Propoſitiones non forent Contradictoriæ: *nullius Hominis aliquis Equus currit: Alicujus Hominis aliquis Equus currit;* quia hæ Propoſitiones non differunt in tota quantitate, in utraque enim Propoſitione Subjectum, *Equus*, afficitur ſignô Particulari, *Aliquis;* Atqui dictæ Propoſitiones ſunt verè Contradictoriæ: Ergo ad Oppoſitionem non requiritur, ut ſigna Univerſalia mutentur in Particularia, aut viciſſim.

R. N. Maj. & rationem adjunctam, nam, *aliquis Equus*, in prima Propoſitione ſupponit univerſaliter, & verè diſtribuitur, ita ut illius ſenſus ſit: Et Petri nec Equus A. nec Equus B. currit: Et Pauli nec Equus A. nec Equus B. currit, & ſic deinceps. Ratio autem hujus eſt; quia quid-

quidquid ponitur poſt particulam *Non*, aliámve vocem negativam, qualis eſt *Nullus*, illud diſtribuitur: Sed: *Aliquis Equus* in Propoſitione prima ponitur poſt particulam negativam, *Nullus*: Ergo ibi diſtribuitur. Itaque ſi ponatur unus Equus currere; ex illis Propoſitionibus Particularis eſt Vera, Univerſalis autem Falſa, ac viciſſim, ſi nullus Equus currat.

253. Dices 2. Ergo non erit ratio, cur non etiam iſtæ Propoſitiones ſint Contradictoriæ: *Cujuslibet Hominis aliquis Equus currit: Alicujus Hominis aliquis Equus non currit.*

R. N. Illatum. Diſparitas inter has, & priores Propoſitiones eſt iſta; quòd Particula Negativa in prioribus Subjecto præponatur, undè etiam Subjectum ibi diſtribuitur; in poſterioribus verò Particula Negativa Subjecto poſtponatur; unde in iſtis Subjecti inferiora per particulam *vel* enumerantur, dicendo nempe: Alicujus Hominis v. g. Petri vel Equus A. vel Equus B. non currit, & conſequenter poſteriores Propoſitiones non differunt in quantitate, & ideò utraque poteſt ſimul eſſe vera, ſi nempe Petrus v. g. duos Equos haberet, & unus ex his non curreret, tunc enim currentibûs cœterorum Hominum Equis verè diceres: *Cujuslibet Hominis aliquis Equus currit*; & ſimul verè judicares, quòd *Alicujus Hominis*, nempe Petri, aliquis Equus non currat. Quare ſic debent formari: *Cujuslibet Hominis aliquis*

Equus

Equus currit : *Alicujus Hominis nullus Equus currit.*

254. Dices 3. Si ſigna Univerſalia ſunt mutanda in Particularia, & viciſſim, tunc hæc Propoſitio: *Omnis Homo, ſervans omnia Mandata DEI, ſalvatur*, habebit hanc Contradictoriam: *Aliquis Homo, ſervans aliqua Mandata DEI, non ſalvatur:* ſed hanc non habet; cùm utraque poſſit eſſe Vera: Ergo ſigna Univerſalia non ſunt mutanda in Particularia, aut viciſſim.

R. D. Maj. Si ſigna Univerſalia ſemper ſunt mutanda in Particularia, tunc habebit illam Contradictoriam, C. Maj. ſi plerumque quidem, non tamen ſemper, N. Maj. & conceſſa Min. D. Conſequens: Ergo ſigna Univerſalia non omnino ſemper debent mutari in Particularia, C. C. Non debent mutari plerumque. N. Conſequentiam. Ratio autem, cur hæc mutatio plerumque fieri debeat, eſt 1. ut nimirum ſic Propoſitiones Contradictoriæ repugnent in debita quantitate, 2. Quia aliàs ſæpè utraque Propoſitio foret Falſa. Cæterùm mutatio hæc fieri non debet in iis Propoſitionibus, quæ per Copulam minùs principalem exponuntur, prout fit in caſu Objectionis; nam hæc Propoſitio: *Omnis Homo, ſervans omnia Mandata DEI, ſalvatur*, quoad partem ſuam principalem, qua ſalutem Hominis affirmat, exponi debet, ac verificari per alteram partem, nimirùm, *Servans omnia Mandata DEI*; atque

iſtis verbis indicatur, non qualemcunque obſervationem Mandatorum ad ſalutem ſufficere, ſed requiri obſervantiam Mandatorum omnium graviter obligantium. Ratio igitur, cur in dicta Propoſitione Signum univerſale: *Omnia Mandata*, non poſſit mutari in ſignum Particulare: *aliqua Mandata*, eſt hæc; quia in iſta Propoſitione: *Omnis Homo*, *ſervans omnia Mandata DEI*, *ſalvatur*, ex parte Subjecti jam importatur copula licet minùs principalis, & ſenſus eſt: Omnis Homo, qui eſt ſervans omnia Mandata DEI, ſalvatur. Quare ſi in ſecunda Propoſitione: *ſervans omnia Mandata*, mutaretur in: *Servans aliqua Mandata*, tunc jam non daretur amplius idem Subjectum; conſequenter tolleretur etiam hoc ipſo ratio contradictionis. Contradictoria proin hujus Propoſitionis: *Omnis Homo*, *ſervans omnia Mandata DEI*, *ſalvatur*, erit hæc: *Aliquis Homo*, *ſervans omnia Mandata DEI*, *non ſalvatur*.

Solvuntur aliæ Objectiones contra *Regulas Contradictoriarum*, *potiſſimùm ex Suppoſitione Terminorum petita*.

255. OBj. 1. Hæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ: *Omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cælo*: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in cælo*: Atqui hæ ambæ Propoſitiones ſunt Falſæ: Ergo

Ergo Propoſitiones Contradictoriæ poſſunt ambæ eſſe Falſæ. Min. patet; nam quia ponuntur ſex dari binarii Apoſtolorum, ita ut in ſexto binario ſit v. g. Judas Thaddæus, & Iſcariotes, Falſa inprimis eſt Propoſitio Univerſalis, dicens: *Omnis binarius eſt in Cælo*, cùm ſextus binarius non ſit in Cœlo, ſed tantùm unum Individuum ex binario ſit in Cœlo. Deinde etiam Falſa eſt hæc Propoſitio particularis: *Aliquis binarius non eſt in Cælo*, quia tantùm unicus ex binario non eſt in Cœlo.

R. D. Maj. Hæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ, ſi binarius pro duobus ſuis Individuis univerſaliter ſupponat collectim, & indiviſibiliter, C. Maj. ſi binarius quandoque ſupponat collectim, & indiviſibiliter, quandoque autem diſtributivè, & diviſibiliter, N. Maj. & D. Min. atqui hæ ambæ Propoſitiones ſunt Falſæ, ſi in utraque binarius ſupponat collectim, & indiviſibiliter, N. Min. ſi ſupponat diſtributivè, & diviſibiliter, C. Min. & N. C. Modica eſt hìc difficultas ratione Contradictionis; ſed tota difficultas conſiſtit in eo, quomodò binarius pro ſuis duobus Individuis, ex quibus conſtituitur, ſupponat; poteſt autem ſupponere dupliciter, primò diſtributivè, & diviſibiliter, ita ut ſenſus hujus Propoſitionis: *binarius Hominum currit*, ſit: utrumque Individuum binarii ſeorſim ſumptum *currit*; Item: & *Petrus currit*, & *Paulus currit*. Secundò collectim, & indiviſibiliter, ita ut ſenſus

ſit: *utrumque Individuum per modum collectionis ſumptum currit.*

Jam cùm binarius pro ſuis Individuis hoc duplici modô poſſit ſupponere, vel erunt objectivæ Propoſitiones Contradictoriæ, vel non erunt, prout nempe vel in una, vel in altera ſuppoſitione accipitur binarius. Erunt Contradictoriæ, ſi binarius in utraque Propoſitione pro Individuis ſupponit collectim, & indiviſibiliter: non erunt, ſi binarius in utraque Propoſitione ſupponat diſtributivè, & diviſibiliter; uti magìs patebit ex dicendis.

256. Dices 1. Hæ Propoſitiones: *Omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cœlo: Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cœlo*, videntur eſſe Contradictoriæ, etiam ſi in utraque Propoſitione ſupponat binarius diviſibiliter: Ergo nulla eſt data diſtinctio.

R. N. A. Nam in hac ſuppoſitione altera Propoſitio, ſeu Particularis, plus negat, quàm requiritur ad falſificandam priorem, ſive Univerſalem; ſenſus enim eſſet: *Aliquis binarius nec quoad hoc, nec quoad illud Individuum eſt in Cœlo, adeóque utraque poſſet eſſe Falſa.* Explicatur: ſi binarius in utraque Propoſitione ſupponit diſtributivè, & diviſibiliter, tunc ſenſus primæ Propoſitionis Univerſalis eſt, & omnes ſex binarii ſunt in Cœlo, & omnia duodecim Individua binariorum ſunt in Cœlo, quæ Propoſitio jam ſufficienter falſificaretur per hoc, ſi altera Propoſitio diceret ſaltem uni-

unicum Individuum ex duodecim Individuis non eſſe in Cœlo; conſequenter cùm Propoſitio Particularis ſit hæc: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cœlo*, ſimúlque binarius in eadem ponatur ſupponere diſtributivè, & diviſim; pariet neceſſariò hunc ſenſum: *Ex ſexto binario nec Individuum A. nec Individuum B. eſt in Cœlo*, quæ Propoſitio itidem eſt Falſa, & plus negat, quàm requiritur ad falſificandam priorem; negat enim duo Individua eſſe in Cœlo; & tamen ad priorem Propoſitionem falſificandam ſufficeret negare, unum Individuum eſſe in Cœlo: Ergo manifeſtum eſt, quòd ſi binarius tam in Propoſitione Univerſali Affirmativa, quàm in Particulari Negativa ſupponat pro utroque Individuo diſtributivè, Propoſitiones non ſint Contradictoriæ; Propoſitiones enim Contradictoriæ neque ambæ poſſunt eſſe Falſæ, neque altera debet plus negare, quàm requiratur ad falſificandam priorem.

257. Sed quid, ſi aliquis diceret, binarium in Propoſitione Univerſali Affirmativa ſupponere pro ſuis Individuis diſtributivè, & diviſim; in Particulari Negativa autem collectim, & indiviſibiliter, erúntne tunc Propoſitiones Contradictoriæ? R. Negativè, nam omnis mutatio Suppoſitionis, exceptâ Diſtributivâ in Disjunctivam, & viciſſim, evertit rationem Contradictionis.

258. Dices 2. Saltem dictæ Propoſitio-

tiones erunt Contradictoriæ, ſi in utraque binarius pro ſuis Individuis ſupponat collectim, & indiviſim: Atqui nil obeſt, quò minùs binarius in utraque Propoſitione poſſit ſupponere collectim, & indiviſim.

R. C. Maj. N. Min. nam dicendo, binarium in hac Propoſitione: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cœlo,* ſupponere pro utroque ſuo Individuo collectim, & indiviſim, complures Propoſitiones, quæ communiter à Viris etiam doctis cenſentur eſſe Falſæ, erunt Veræ. Sic e. g. hæc Propoſitio: *Aliquis binarius Virginum non peccavit in Adam*, communiter etiam à doctis judicatur falſa, & tamen foret veriſſima, ſi binarius ſupponeret pro utroque ſuo Individuo collectim, & indiviſim; quia verum eſt, totum binarium collectivè ſumptum peccatum originale non contraxiſſe; quòd ſi enim hic binarium ponas conſtitui ex B. V. & S. Catharina, obſervabis, ſolam hanc contraxiſſe peccatum originale, non item illam: Ergo totus binarius indiviſim, & collectim peccatum originale non contraxit: Ergo cùm nihilominùs Propoſitio: *Aliquis binarius Virginum non peccavit in Adam*; communiter cenſeatur eſſe Falſa, ſignum eſt manifeſtum, binarium in hac Propoſitione non poſſe ſupponere pro utroque ſuo Individuo collectim, & indiviſim.

Dein ſi binarius juxta te ſupponit in hoc caſu pro utroque Individuo collectim,

&

& indiviſim, cur non etiam ternarius, centenarius, millenarius, ſicque in aliis deinceps, ita ſupponunt? Certè hæc omnia ob paritatem rationis admittere debebis. Et tamen ſi quis diceret: *Centenarius Virginum non contraxit peccatum originale*, nemo facilè id ùt verum admitteret: Ergo dicendum eſt, nec binarium poſſe univerſaliter pro ſuis Individuis ſupponere collectim, & indiviſim.

259. Dices 3. Omnes has Propoſitiones in ſenſu rigorosè Logico eſſe veras, & nequaquam doctis auribus, ſed tantùm Vulgo diſplicere. P. Etiam hæc Propoſitio: *Non tantùm DEUS eſt mendax;* malè ſonat, & tamen in rigore Logico eſt vera: Ergo à pari.

R. N. A. Nam doctæ etiam aures judicant, verba in eo ſenſu eſſe accipienda, in quo à communi acceptione minimè recedunt, ſi poſſint ita accipi; atqui hæc verba: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cœlo: Centenarius Virginum non peccavit in Adamo;* poſſunt quàm communiſſimè accipi in ſenſu, in quo à communi acceptione minimè recedunt; ſi nempe dicatur, binarium, centenarium &c. in hoc caſu pro ſuis Individuis ſupponere diviſibiliter, & diſtributivè; adeóque Propoſitiones eſſe falſas: Ergo etiam juxta doctarum aurium judicium debet in hoc ſenſu accipi: Ergo juxta doctarum aurium judicium debet in hac Propoſitione: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in*

Cœlo, binarius pro ſuis Individuis ſupponere diſtributivè, & diviſim, non autem collectim, & indiviſim. Ex quo ipſo eruitur reſponſio ad confirmationem. Nam transmiſſo Antecedente, N.C. Propoſitiones illæ Exponibiles, quæ in Vulgi quidem auribus malè ſonant, interim tamen à doctis omnibus habentur veræ, ideò ſunt retinendæ; quia alius modus eas exponendi, & apparentem abſurditatem auferendi non ſuppetit, qui ſi ſuppeteret, haud dubiè hæ ipſæ Propoſitiones non tolerarentur. Contra verò in noſtro caſu omnia obvia adſunt, hanc, ſimiléſque Propoſitiones: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cœlo*, exponendi, & apparentem ſaltem abſurditatem tollendi, ſi nempe dicatur, binarium in Propoſitione Particulari ſemper pro ſuis Individuis ſupponere diſtributivè, non autem indiviſim, & collectim.

260. Dices 4. Etiam à nobis debet admitti, in Propoſitione Negativa binarium pro ſuis Individuis ſupponere collectim, & indiviſim: Ergo videmur nobis ipſis contradicere. A.P. Hæc Propoſitio juxta nos eſt vera: *Nullus binarius Apoſtolorum eſt damnatus*: Atqui hæc Propoſitio non eſt vera, niſi binarius pro ſuis Individuis ſupponat collectim, & indiviſim. Min. P. Si binarius ſupponit diſtributivè, & diviſibiliter, tunc ſenſus Propoſitionis erit: *Nullum Individuum ex binariis Apoſtolorum eſt damnatum*: Atqui hôc modò Pro-

Propoſitio non eſt Vera: Ergo. Ut proin ſit Vera, debet in hac Propoſitione unusquisque binarius pro ſuis Individuis ſupponere collectim, & indiviſim.

R. D. A. Etiam à nobis debet admitti, in Propoſitione Univerſali Negativa binarium ſupponere collectim, & indiviſim, C. A. in Propoſitione Particulari Negativa, N. A. & C. Hoc ipſum eſt, quod volumus, nimirum binarium non poſſe univerſaliter pro ſuis Individuis ſupponere eodem modo. Dicimus itaque, binarium in Propoſitione Negativa Univerſali pro ſuis Individuis ſupponere collectim, & indiviſim. At ex hoc non ſequitur, debere etiam ſupponere collectim, & indiviſim in Propoſitione Negativa Particulari. Ratio diſparitatis eſt; quia ſi binarius tantùm in Propoſitione Univerſali Negativa ſupponat collectim, & indiviſim, nullus unquam ſenſus emergit; qui paſſim haberi ſoleat ùt falſus; quod tamen contingit, ſi in Propoſitione Negativa Particulari binarius ſupponeret indiviſim, & collectim, proùt ſupra oſtendimus. Ad Probationes dico, eas plus non evincere, quàm in Propoſitione Negativa Univerſali binarium pro ſuis Individuis ſupponere indiviſim, & collectim, quod ultrò concedimus. Negamus tamen, quòd propterea debeat ſupponere collectim, & indiviſim in Propoſitione Particulari Negativa; imò ſicut in hac Propoſitione Univerſali Negativa: *Nullus binarius Apoſtolorum eſt*

damnatus, binarius neceſſariò pro ſuis Individuis debet ſupponere collectim, & indiviſim, quia aliàs Propoſitio foret Falſa; ita in hac Propoſitione Particulari Negativa: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cælo*, binarius non poteſt pro ſuis Individuis ſupponere collectim, & indiviſim, ne Propoſitio fiat abſona à communi etiam Doctorum ſenſu aliena, ac probabiliùs falſa.

261. Dices 5. Ergo ſaltem hæ Propoſitiones erunt Contradictoriæ: *Omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cælo: Aliquis ex ultimo ſaltem binario Apoſtolorum non eſt in Cælo.* R. Illas Propoſitiones poſſe ita ſumi, ut appellent ad exiſtentiam binarii; túncque Concedo, eas eſſe Contradictorias; & etiam in caſu, quo unus tantûm exiſteret Apoſtolus, iſtéque eſſet in Cœlo; in quo uno videntur habere poſſe difficultatem; altera earum eſt Vera, altera Falſa. In hoc enim caſu Falſa eſt Propoſitio prima: *Omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cælo*; quia hæc Propoſitio, utpote in Materia Contingenti, & affirmans exiſtentiam Subjecti, juxta omnes Summuliſtas habet hunc ſenſum: *Exiſtit unus, vel plures binarii Apoſtolorum, & omnis binarius, qui exiſtit, eſt in Cælo.* Ubi clarè deprehendis, Propoſitionem eſſe Copulativam, & primum illius membrum eſſe falſum, cùm falſum ſit, ùt ponitur, exiſtere unum, aut plures binarios Apoſtolorum; unde tota Propoſitio redditur falſa

ſa. Sed altera hæc Propoſitio eſt Vera: *Aliquis ex ultimo ſaltem binario Apoſtolorum non eſt in Cœlo;* quia, utpote Propoſitio Negativa, exponi debet Disjunctivè, facítque hunc ſenſum: *Vel non exiſtit ultimus binarius Apoſtolorum, vel, ſi exiſtit: Aliquis ex ipſo non eſt in Cœlo.* In qua Propoſitione, cùm ea ſit in Materia Contingenti, quomodocunque reliqua ſumantur, & quantumcunque ſint falſa, tamen primum ejus membrum eſt verum; cùm ponatur in caſu, nullum binarium Apoſtolorum exiſtere, ac proin nec ultimum. Ad veritatem autem Propoſitionis Disjunctivæ in hac Materia ſufficit, dummodò unum ejus membum ſit verum. Cæterùm hujus Propoſitionis: *Omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cœlo;* claram hanc Contradictoriam vulgò afferunt: *Non omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cœlo.*

262. Dices 6. Hæ duæ Propoſitiones: *Non omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cœlo;* &: *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cœlo*, habent omnino eundem ſenſum: Ergo ſi una eſt Contradictoria, Contradictoria eſt & altera. A. P. Hæ duæ Propoſitiones habent omnino eundem ſenſum: *Non omnis Homo ſtudet*, &: *Aliquis Homo non ſtudet*: Ergò à pari.

R. N. A. Nam prior Propoſitio apud omnes vera eſt, ſi vel unum Individuum excludatur è Cœlo. Secunda autem in communi acceptione non cenſetur eſſe vera,

vera, niſi utrumque Individuum excludatur è Cœlo. Sic illa Propoſitio : *Aliquis binarius Virginum non contraxit peccatum Originale*; ideo ordinariè habetur falſa, quia tantùm unicum Individuum excluditur à contractione peccati Originalis : Ergo ut cenſeretur eſſe vera, deberet utrumque Individuum excludi à contractione peccati Originalis. Sicut itaque communiter hæ Propoſitiones : *Non omnis binarius contraxit peccatum Originale*, &: *Aliquis binarius non contraxit peccatum Originale*; non habent eundem ſenſum, eò quòd prima ab omnibus admittatur ùt vera, altera communiſſimè cenſeatur eſſe falſa; ita ob eandem rationem eundem ſenſum non habent : *Non omnis binarius Apoſtolorum eſt in Cœlo*, *Aliquis binarius Apoſtolorum non eſt in Cœlo*. A. P. C. A. N. C. Diſparitas, eáque manifeſta eſt hæc; quia : *Non omnis*, &, *Aliquis non*, quando applicantur ad, *Homo*, æquivalent, ùt omnes concedunt; at verò æquivalere non poſſunt, quando applicantur ad Terminum, *binarius*; ùt conſtat ex dictis. Et ratio eſt, quia ſi etiam tunc æquivalerent, Propoſitiones, quæ communiſſimè cenſentur falſæ, forent veræ.

263. Obj. 2. Ad eundem ferè modum, ſed mutatis Terminis. Hæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ : *Omnes Apoſtoli ſunt in Cœlo: Aliqui Apoſtoli non ſunt in*

Digitized by Google

in Cælo ∴ Sed hæ ambæ ſunt falſæ: Ergo.

R. Sicut priùs D. Maj. Si Terminus: *Aliqui Apoſtoli* ſupponat pro ſuis Individuis collectim, & indiviſim, C. Maj. ſi diſtributivè, & diviſim, N. Maj. Supponere autem videtur diviſibiliter, & diſtributivè, ne iterum Propoſitiones, quæ communiter habentur falſæ, fiant veræ, nempe hæ: *Aliqui Apoſtoli non ſunt in Cælo: Aliquæ Virgines non contraxerunt peccatum Originale: Aliquæ Mulieres non ſentiunt dolores partûs*; ac aliæ id genus. Quæ omnes Propoſitiones erunt veræ, ſi Terminus: *Aliqui Apoſtoli* ſupponat pro ſuis Individuis collectim, & indiviſim. Dicendum igitur eſt, Terminum, *Aliqui Apoſtoli* in Propoſitione Negativa pro ſuis Individuis ſupponere diſtributivè & diviſim, in qua acceptione Propoſitiones allatæ neque apud Adverſarios ſunt Contradictoriæ.

264. Dices 1. Dictæ Propoſitiones differunt in quantitate, & qualitate, & conſtant iiſdem Terminis: Ergo ſunt Contradictoriæ. R. N. A. quoad ſecundum membrum; nam in prima univerſali ſupponit Terminus, *Omnes Apoſtoli*, pro ſuis Individuis collectim, & indiviſim, ùt volunt Adverſarii, in altera Propoſitione Terminus, *Aliqui Apoſtoli*, ſupponit diſtributivè, & diviſim, ùt probat noſtra ratio: Ergo non remanent iidem Termini: cùm ſuppoſitio ex una parte diſtributiva,

ex

ex altera collectiva etiam juxta Adverſarios evertat contradictionem, & inducat Terminorum mutationem, ùt manifeſtè patet in his Propoſitionibus: *Omnes Milites ſunt Exercitus: Singuli Milites non ſunt Exercitus &c.*

265. Dices 2. Iſtæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ: *Omnes Apoſtoli ſunt in Cælo: Non omnes Apoſtoli ſunt in Cælo:* Ergo etiam hæ: *Omnes Apoſtoli ſunt in Cælo: Aliqui Apoſtoli non ſunt in Cælo.* C. P. Iſtæ duæ Propoſitiones: *Non omnes Apoſtoli ſunt in Cælo;* &: *Aliqui Apoſtoli non ſunt in Cælo*, æqûipollent: Ergo ſi una eſt Contradictoria, Contradictoriè opponitur & altera. A. P. *Non omnis*, & *Aliquis non*, æquipollet: Ergo etiam *non omnes*, & *aliqui Non.*

R. C. A. N. C. ad P. N. A. ad hujus P. D. A. Iſtæ duæ Propoſitiones æquipollent, ſi adjungantur termino, unum tantùm Individuum ſignificanti, aut certè ab unitate, & pluralitate ſui ſignificati præſcindenti, C. A. ſi adjungantur Termino plura Individua ſignificanti, Subd. Æquipollent aliquando, C. A. ſemper, N. A. & C. Jam ſuprà vidimus, Terminum, *Non omnis*, & *Aliquis non*, æquivalere ſemper non poſſe, quando adjungitur binario. Dico igitur, *Non omnis*, & *Aliquis non*, etiam quando adjunguntur Termino plura Individua ſignificanti, nunquam æquipollere, quando Terminus ille pro ſuis Individuis diſtributivè, & diviſim ſumptis uſurpatur

patur

patur, uti fit in præſenti: ídque, ne Propoſitiones vulgò falſæ; reddantur veræ. Nihilominùs tamen tunc, *Non omnis*, & *Aliquis non*, æquipollent, etiam quando applicantur Termino plura Individua ſignificanti, quando iſte Terminus pro pluribus ſuis Individuis ſupponit collectim, & indiviſibiliter. Sic iſtæ ſunt verè Contradictoriæ: *Omnis civitas eſt Catholica: Aliqua civitas non eſt Catholica*; adeóque *Non omnis civitas*, & *Aliqua civitas non*, ſunt verè æquipollentes; licèt enim civitas ſignificet plura Individua, nempe plures cives, tamen pro his ſupponit collectim, & indiviſim, quia non cives ſinguli, & ſeorſim, ſed collectim, & ſimul ſumpti efficiunt civitatem, & hinc, quia iſta Propoſitio: *Aliqui Apoſtoli non ſunt in Cœlo*, non poteſt ſupponere pro ſuis Individuis collectim, & indiviſim, prout tamen neceſſarium omnino eſſet ad hoc, ut eſſet Contradictoria hujus: *Omnes Apoſtoli ſunt in Cœlo*, ſequitur, quòd iſtæ Propoſitiones: *Omnes Apoſtoli ſunt in Cœlo: Aliqui Apoſtoli non ſunt in Cœlo*, non ſint Contradictoriæ. Si quæras, quómodò ergo ſibi opponantur? R. eſſe contrarias de Lege; quia ambæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ, nunquam autem ſimul Veræ. Neque dicas: tali modô hanc Propoſitionem: *Aliqui Apoſtoli non ſunt in Cœlo*, nullam habere Contradictoriam. R. enim N. nam habet hanc: *Non aliqui Apoſtoli non ſunt in Cœlo*, cujus ſenſus eſt: *Omnes Apoſtoli ſunt in Cœlo, uſque ad unum.* 266.

266. Obj. 3. *Omnis Oculus eſt neceſſarius ad videndum : Aliquis Oculus non eſt neceſſarius ad videndum*, videntur eſſe Contradictoriæ : atqui hæ ambæ ſunt Falſæ : Ergo.

R. D. Maj. Si Oculus in utraque Propoſitione ſumatur tanquam determinatè neceſſarius, C. Maj. ſi non, N. Maj. & D. Min. ambæ ſunt falſæ in ſenſu poſteriori, C. Min. in priori, N. Min. & C. Si Propoſitiones ſic ponantur : *Omnis Oculus eſt determinatè neceſſarius ad videndum : Aliquis Oculus non eſt determinatè neceſſarius ad videndum*, non video, quid deſit ad Contradictionem, cùm prima ſupponat diſtributivè, altera disjunctivè ; prior ſit Falſa, altera Vera.

267. Dices 1. Non poteſt dici, an hæ ſint Contradictoriæ : *Omnis Oculus indeterminatè ſumptus eſt neceſſarius ad videndum : Aliquis Oculus indeterminatè ſumptus non eſt neceſſarius ad videndum :* Ergo.

R. N. A. & dico, non eſſe Contradictorias ; quia prima Propoſitio, licèt videatur ſupponere Diſtributivè, re vera non poteſt ſupponere diſtributivè; nam ut Diſtributivè ſupponeret, deberet poſſe pati deſcenſum diſtributivum, ùt patet ; atqui deſcensûs diſtributivi omninò eſt incapax. P. Min. ſi pateretur deſcenſum diſtributivum, tunc poſſem ſic deſcendere : Et Oculus A. indeterminatè ſumptus eſt neceſſarius, & Oculus B. indeterminatè ſumptus eſt

eſt neceſſarius ad videndum: atqui ſic non poſſum deſcendere. Si enim Oculus A. quomodò indeterminatè ſumptus? ſi indeterminatè ſumptus, quomodò Oculus A? ubi clarum eſt, hanc diſtributionem evertere ſe ipſam. Et idem dic ad has Propoſitiones: ***Nullus Oculus indeterminatè ſumptus eſt neceſſarius ad videndum: Aliquis Oculus indeterminatè ſumptus eſt neceſſarius ad videndum.***

268. Dices 2. Hæc Propoſitio: ***Aliquis Oculus indeterminatè eſt neceſſarius ad videndum***, debet habere aliquam Contradictoriam: Atqui alia aſſignari non poteſt, niſi hæc: ***Nullus Oculus eſt indeterminatè neceſſarius ad videndum:*** Ergo.

R. D. Maj. debet habere aliquam Contradictoriam de Modo enuntiandi, N. Maj. de Lege, C. Maj. & D. Min. Nullam aliam habere poteſt, ſi deberet aliqua aſſignari de Modo enuntiandi, Trans. Min. ſi tantùm de Lege. N. Min. & C. Propoſitiones Contradictoriæ de Modo enuntiandi ſunt, quæ conſtant ſignis Particularibús, & Univerſalibus: Atqui huic Propoſitioni Particulari: ***Aliquis Oculus eſt indeterminatè neceſſarius ad videndum***, utique non poteſt opponi altera conſtans ſignô Univerſali ***Nullus***. Ratio jam eſt data; quia hæc Propoſitio: ***Nullus Oculus eſt indeterminatè neceſſarius***, eſt incapax deſcenſûs diſtributivi: Ergo tantùm ſoliciti eſſe debemus, ut procuremus Contradictoriam de Lege. Dico autem de Lege con-

Digitized by Google

tradictoriè opponi has duas Propoſitiones: *Aliquis Oculus eſt indeterminatè neceſſarius ad videndum: Non aliquis Oculus eſt indeterminatè neceſſarius ad videndum.*

269. Dices 3. *Non aliquis*, & *Nullus* æquivalent: Ergo ſi hæc eſt Contradictoria: *Non aliquis Oculus eſt indeterminatè neceſſarius ad videndum*, erit & hæc: *Nullus Oculus eſt indeterminatè neceſſarius ad videndum.*

R. D. A. Æquivalent, quando applicantur ad Terminos capaces deſcenſûs diſtributivi, C. A. Quando applicantur ad Terminos deſcenſûs diſtributivi incapaces N. A. & C. quæ jam patent ex dictis.

270. Obj. ult. Iſtæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ: *Promitto tibi aliquem Librum: Promitto tibi nullum Librum:* ſed iſtæ iterum ſunt ſimul Veræ: Ergo manet verum, Contradictorias poſſe ſimul eſſe Veras. P. Min. Nam Propoſitiones illæ ſic exponuntur: *Promitto tibi aliquem Librum indeterminatè: Promitto tibi nullum Librum determinatè:* Atqui hæc poſſunt ſimul eſſe vera: Ergo Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Veræ.

R. N. Maj. Allatæ enim Propoſitiones non ſervant idem Subjectum: eò quòd Particularis Propoſitio affirmet promiſſionem, & neceſſitatem de toto disjuncto, & non determinatè de qualibet parte disjuncti, Propoſitio autem Univerſalis neget promiſſionem, aut neceſſitatem de qua-

qualibet parte determinatè ſumpta: quælibet autem pars determinatè ſumpta, & totum disjunctum utique ſunt diverſa. Unde eæ Propoſitiones affirmant aliquid, & negant de diverſis, non autem de eodem Subjecto; hoc ipſo, quòd Propoſitio Univerſalis ſupponat ex parte Subjecti diſtributivè, Propoſitio verò Particularis disjunctim, ſeu confusè, quæ Suppoſitiones mutant Subjectum.

271. Dices. Si Suppoſitio Disjuncta reſpectu Propoſitionis Diſtributivæ mutat Subjectum, tunc etiam Suppoſitio Disjunctiva itidem reſpectu Propoſitionis Diſtributivæ mutat Subjectum: Conſequens eſt falſum, ùt ipſimet notavimus Paragrapho 1. hujus Articuli, & aliàs: Ergo & Antecedens.

R. N. Maj. Ratio diſparitatis eſt; quia in Suppoſitione Disjunctiva Prædicatum verificatur in aliquo Subjecto determinato, de quo ipſo etiam Propoſitio Univerſalis determinatè enuntiat. Econtrà in Suppoſitione Disjuncta Propoſitio non debet determinatè verificari in aliquo Subjecto à parte rei determinato; conſequenter ad nullum determinatum Subjectum deveniri poteſt, de quo utraque Propoſitio, Univerſalis nempe, & Disjuncta enuntiat. Si quis itaque Propoſitiones illas clarè Contradictorias habere velit, eas ſic ponet: *Promitto tibi aliquem Librum indeterminatè: Non promitto tibi aliquem Librum indeterminatè.*

Solvuntur Objectiones Circa Contrarias, & Subcontrarias.

272. OBj. 1. Contra Definitionem Contrariarum. Hæ Propoſitiones ſunt Contrariæ: *Omnis Homo eſt albus; omnis Homo eſt niger;* & tamen utraque eſt Affirmativa: Ergo Contrariæ non opponuntur in Qualitate, neque requiritur, ut idem ſit Subjectum, & Prædicatum in utraque Contraria.

R. D. A. Sunt Contrariæ contrarietate Terminorum, vel ùt alii ajunt, ſunt Contrariæ contrarietate incomplexa, C. A. Sunt Contrariæ contrarietate Propoſitionum, & complexa, N. A. & D. C. Ergo Contrariæ non opponuntur in qualitate, ſi ſint tantùm Contrariæ contrarietate Terminorum, qualis datur inter hos Terminos *Albus*, & *niger*, C. C. ſi ſint Contrariæ contrarietate Propoſitionum, de quibus nobis eſt ſermo. N. C.

273. Obj. 2. Contra Legem primam Contrariarum. Iſtæ: *Omnis Hominis altera manus eſt dextra: Omnis Hominis altera manus non eſt dextra*, ſunt Contrariæ: ſed utraque eſt vera: Ergo Contrariæ poſſunt ſimul eſſe Veræ.

R. N. Maj. Non enim ſunt Contrariæ; quia non ſunt Univerſales; nam univer-

verſalitas non ex Obliquo, ſed ex Recto Subjecti eſt deſumenda.

274. Obj. 3. Contra Legem ſecundam Contrariarum. Hæ duæ Propoſitiones ſunt in Materia Neceſſaria: *Omne Animal eſt rationale: Nullum Animal eſt rationale:* Sed hæ ſunt duæ Contrariæ, & ſimul Falſæ: Ergo Propoſitiones Contrariæ in Materia Neceſſaria poſſunt ſimul eſſe Falſæ.

R. N. Maj. Licèt enim Rationale ſit Prædicatum neceſſarium reſpectu alicujus Animalis, nimirum Hominis; reſpectu tamen Animalis genericè ſumpti non eſt neceſſarium, nec etiam impoſſibile, ſed potiùs eſt Contingens; cùm Animal genericè ſumptum ſit indifferens ad rationalitatem, & irrationalitatem. Sunt igitur dictæ Propoſitiones in Materia Contingente, in qua diximus, utramque Contrariam poſſe eſſe Falſam. Aliud foret, ſi Propoſitiones ita formarentur: *Omne Animal rationale eſt Homo: Nullum Animal rationale eſt Homo*, quarum prima eſt in Materia Neceſſaria, & ſecunda in Materia Impoſſibili, nec poſſunt ſimul eſſe Falſæ.

275. Obj. 4. Contra diviſionem Subcontrariarum: Propoſitiones Subcontrariæ non ſunt oppoſitæ: Ergo malè afferuntur in diviſionem Oppoſitarum. A. P. Subcontrariæ poſſunt ſimul eſſe Veræ: Ergo non ſunt oppoſitæ.

R. N. A. ad P. C. A. D. C. Ergo non

ſunt oppoſitæ in quantitate, aut veritate, C. C. non ſunt oppoſitæ in qualitate, N. C. una enim eſt Affirmativa, & altera Negativa: Ergo ſunt oppoſitæ in Qualitate.

276. Obj. 5. Subcontrariæ, quando ſunt ſimul Veræ, non habent idem Subjectum: Ergo vel non ſunt oppoſitæ, vel non poſſunt ſimul eſſe Veræ. A. P. Quando dico: *Aliquis Homo currit*, Subjectum hujus Propoſitionis poteſt eſſe Petrus, de quo etiam ea verificetur. Quando autem dico: *Aliquis Homo non currit*. Subjectum hujus Propoſitionis poteſt eſſe Paulus, de quo ea pariter ſit vera: Ergo non habent idem Subjectum.

R. D. A. Non habent idem Subjectum Verificationis, C. A. Non habent idem Subjectum Repræſentationis, aut Suppoſitionis, N. A. & C. Utraque Propoſitio ſupponit disjunctivè pro Petro, Paulo, vel alio ex Hominibus; & ſic utraque habet idem Subjectum Suppoſitionis, ac etiam Repræſentationis. Atque hæc talis identitas Subjecti ſufficit, ut detur Oppoſitio requiſita ad Subcontrarias.

277. Obj. 6. Juxta nos hæ Propoſitiones: *Homo currit*, *Homo non currit*, eſſent Subcontrariæ, & tamen Ariſtoteles L. 1. de Interp. c. 6. vocat eas Contradictorias: Ergo non benè explicantur.

R. ab Ariſtotele hic Propoſitiones

Indefinitas vocari Contradictorias, etiamſi ſint in Materia contingente, ac proinde poſſint ſimul eſſe Veræ, non quòd ſint verè tales, ſeu Contradictoriæ; ſed quia apparent eſſe tales.

PARAGRAPHUS III.

De Oppoſitione Propoſitionum Compoſitarum, ſive Copulativarum, Disjunctivarum, Conditionalium, & Cauſalium; ac denique Modalium.

278. NOtandum, quòd Propoſitio Copulativa æquivalenter ſit Propoſitio Univerſalis; quia affirmat, vel negat omnes Propoſitiones Simplices, ex quibus componitur. Propoſitio autem Disjunctiva æquivalenter eſt Particularis; quia unam ſaltem ex Propoſitionibus Simplicibus, ex quibus componitur, affirmat, aut negat. His poſitis facilè percipietur Doctrina, quæ ſequitur. Itaque *Copulativa æquivalenter eſt Univerſalis; Disjunctiva æquivalenter Particularis.*

279. Contradictoria Propoſitionis Copulativæ, debet eſſe Disjunctiva; Disjunctivæ autem, debet eſſe Copulativa. Ratio univerſim petitur ex iis, quæ modò dicta ſunt; & ſpeciatim ratio primæ partis eſt; quia ſi Contradictoria Copulativæ etiam eſſet Copulativa, illa plus nega- *Contradictoria Copulativa; & Disjunctiva.*

ret, quàm requiratur ad falſificandam alteram; & utraque Propoſitio poſſet ſimul eſſe falſa; ùt patet in his duabus: *Et Petrus ſtudet, & Paulus ſtudet*; Cui ſi opponas iſtam etiam Copulativam: *nec Petrus ſtudet, nec Paulus ſtudet*; Utraque eſt falſa, ſuppoſito, quòd unus ſtudeat, e. g. Petrus; alter verò, ſive Paulus, non ſtudeat. Unde Contradictoria prioris eſt hæc: *Vel Petrus non ſtudet, vel Paulus non ſtudet.* Ratio autem ulterior ſecundæ partis eſt; quia ſi Contradictoria Disjunctivæ etiam eſſet Disjunctiva, minus negaret, quàm requiratur ad falſificandam alteram; & utraque poſſet ſimul eſſe vera; ùt patet in his duabus: *Vel Petrus ſtudet, vel Paulus ſtudet. Vel Petrus non ſtudet, vel Paulus non ſtudet.* Utraque eſt vera, ſi unus ſtudeat, e. g. Petrus, alter autem, videlicet Paulus, non ſtudeat. Itaque prioris Contradictoria formari hôc pactô debet: *Nec Petrus ſtudet, nec Paulus ſtudet.*

Oppoſitiones omnes Copulativarum, & Disjunctivarum.

280. Ex quo Coll. 1. Copulativam, & Disjunctivam, pugnantes in Qualitate eſſe Contradictorias. 2. Duas Copulativas, pugnantes in Qualitate, eſſe Contrarias. 3. Duas Disjunctivas, pugnantes in Qualitate, eſſe Subcontrarias. 4. Copulativam, & Disjunctivam ejusdem Qualitatis eſſe Subalternas; ùt patet ex quarta Tabula.

Oppoſitio Conditionalium.

281. Circa Oppoſitionem Conditionalium Obſervandum: Propoſitionem Conditionalem ſolùm affirmare conexionem

nem Conditionis cum Conditionato, ùt etiam ex dictis de veritate Propoſitionis colligitur; Unde ejus Contradictoria hanc ſolùm connexionem negare debet; quòd videri poteſt in quinta Tabula.

282. Circa Oppoſitionem Cauſalium Notandum; illas in Materia Neceſſaria per ſe non affirmare exiſtentiam Cauſæ, & Cauſati, ùt vocant, ſeu Effectùs; ſed ſolùm utriusque Connexionem; ùt patet in hac Propoſitione: *Homo eſt riſibilis; quia eſt rationalis.* In Materia verò Contingenti, Propoſitio Cauſalis Particularis affirmat exiſtentiam Cauſæ, & Cauſati pro tempore per Copulam importato, & utriusque inter ſe Connexionem; unde illius Contradictoria Disjunctivè hæc omnia negare debet; ùt: *Petrus eſt doctus; quia ſtuduit;* Senſus eſt: Petrus eſt doctus, & ſtuduit, & ideo eſt doctus; quia ſtuduit. Contradictoria itaque hæc debet aſſignari: *Petrus non ideo eſt doctus; quia ſtuduit;* Cujus ſenſus eſt: Petrus vel non eſt doctus, vel non ſtuduit: vel, ſi eſt doctus, & ſtuduit, non ideo eſt doctus; quia ſtuduit. Oppoſitio Cauſalium integrè cernitur in ſexta Tabula. *Oppoſitio Cauſalium.*

283. Propoſitiones Modales, dictum eſt ſuperiùs in Diviſionibus Propoſitionum ratione Formæ, eſſe eas, quæ enunciant Modum, quo Prædicatum convenit Subjecto. Ex quatuor Modis, itidem ſuperiùs loc.cit. allatis, & quos notatum eſt, ſimplices dici poſſe, *Neceſſè*, ùt ait P. Se- *Quibusnam Signis æquivaleant Modi Simplices?*

mery Diſp. 2. c. 6. reſpondet Signo Univerſali Affirmativo: *Impoſſibile*, Signo Univerſali Negativo: *Poſſibile*, Signo Particulari Affirmativo: *Poſſibile non*, ſive Contingenter, Signo Particulari Negativo. Quæ omnia duobus his Verſiculis continentur, inter Dialecticos jam paſſim uſitatis:

Omnis, Neceſſe valet, Impoſſibile, Nullus,
Poſſibile, Quidam, Quidam non, Poſſibile non.

Oppoſitio Modalium.

284. Ad Oppoſitionem Modalium univerſim requiritur, ut Propoſitio Negativa neget totum Prædicatum, cum omnibus Adverbiis, Modis, & Obliquis ſibi adjunctis; ſicut fuit affirmatum in Propoſitione Affirmativa. Hinc duæ iſtæ Modales non ſunt Contradictoriæ: *Omnis murus neceſſariò eſt albus; Aliquis murus neceſſariò non eſt albus.* Nam Modus: *Neceſſariò;* pertinet ad Prædicatum, & conſequenter in Negativa debet negari cum Prædicato, hoc modo: *Aliquis murus non neceſſariò eſt albus.* Facillima Ratio faciendi in his Propoſitionibus Contradictorias, eſt, ſi particula, *Non* præfigatur Modo; ùt ſi dico: *Poſſibile eſt hominem currere;* Contradictoria erit: *Non eſt poſſibile hominem currere.* Cæterùm eæ Oppoſitiones fiunt per commixtionem Modorum juxta ſenſum, quem habent, Quantitatis, & Qualitatis, ſuperiùs adductum; ùt in Tabula ſeptima exprimitur.

285.

285. Ex Modis Temporaneis, *Semper*, refert Signum Univerſale Affirmativum: *Nunquam*, Signum Univerſale Negativum: *Aliquando*, Signum Particulare Affirmativum: *Aliquando non*, Particulare Negativum. Circa Oppoſitionem Propoſitionum, quibus hi Modi inſunt, juxta ſuperiùs dicta de Modalibus univerſim, pariter Advertendum, debere totum Prædicatum negari cum Modis ſuis Temporaneis; ſicut cum iiſdem affirmatum fuit. Hinc non ſunt Contradictoriæ hæ: *Petrus aliquando ſtudet*; *Petrus aliquando non ſtudet*; poſſúntque ambæ ſimul eſſe Veræ, ſi e. g. Petrus hodie ſtudeat, & cras non ſtudeat. Sed Contradictoria formari hæc debet: *Petrus non aliquando ſtudet*. De his eſt octava Tabula.

Quibusnam Signis æquivaleant Modi Temporanei?

286. Ex modis Localibus, *Ubique*, ponitur locô Signi Univerſalis Affirmativi: *Nullibi*, locô Signi Univerſalis Negativi: *Alicubi*, locô Signi Particularis Affirmativi: *Alicubi non*, locô Signi Particularis Negativi. Ad Oppoſitionem Propoſitionum, quæ hos Modos continent, pariter negari totum Prædicatum debet cum ſuis Modis, prout fuit affirmatum; ùt oſtendit nona Tabula.

Quibusnam Signis æquivaleant Modi Locales?

287. Denique circa Propoſitiones Exponibiles Advertendum eſt, illas, ſiquidem Affirmativæ ſint, æquivalere Copulativis; ſi verò Negativæ, Disjunctivis, ùt dictum eſt ſuperiùs in diviſionibus Propoſitionis ratione Formæ. Unde Contradictoria

Oppoſitio Exponibilium.

ſitiones compoſitæ ſunt Contradictoriæ: *Petrus exiſtit, & non exiſtit: Petrus non exiſtit, & exiſtit;* poſterioris enim Propoſitionis membrum primum negat id, quod affirmat primum membrum prioris; & membrum ſecundum Propoſitionis poſterioris affirmat, quod negat membrum itidem ſecundum prioris Propoſitionis: Sed tamen ambæ ſunt Falſæ; nam ſive Petrus exiſtat, ſive non, ſemper unum membrum eſt falſum, conſequenter tota Propoſitio copulativa eſt falſa: Ergo duæ Propoſitiones compoſitæ Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ.

R. N. quòd ſint Contradictoriæ; Contradictoria enim Propoſitionis Copulativæ debet eſſe Disjunctiva, ùt ſuperiùs de Oppoſitione Copulativarum jam probatum eſt. Hujus igitur Propoſitionis Copulativæ: *Petrus exiſtit, & non exiſtit,* debet eſſe hæc Disjunctiva: *Vel Petrus non exiſtit, vel exiſtit,* & hæc vera eſt; quia unum ejus membrum neceſſariò eſt verum, quod ad Propoſitionem disjunctivam ſufficit, ut tota dicatur vera. Copulativa autem eſt falſa; quia unum ejus membrum eſt falſum, quod ad falſitatem Propoſitionis Copulativæ pariter ſufficit, ùt ex dictis jam conſtat.

289. Obj. 2. Contra Regulas Modalium. Hæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ, & tamen poſſunt ſimul eſſe Veræ, vel Falſæ: *Petrus neceſſariò ſtudet: Petrus neceſſario non ſtudet. Paulus ſæpè ſtu-*

ſtudet: Paulus ſæpè non ſtudet. Jacobus in quantum Logicus cantat: Jacobus in quantum Logicus non cantat. Omnis Equus eſſentialiter eſt albus: Aliquis Equus eſſentialiter non eſt albus.

R. Has, & ſimiles Propoſitiones, ſi ita proponantur, non eſſe Contradictorias; ùt jam conſtat ex iis, quæ ſuperiùs in Regulis dicta ſunt. Ratio eſt; quia una non negat, quod altera affirmat. Ut ergo ſint Contradictoriæ, debet Particula, *Non*, in Propoſitione Negativa immediatè poni ante Modum, hôc pactô: *Petrus neceſſariò ſtudet: Petrus non neceſſariò ſtudet. Paulus ſæpè ſtudet: Paulus non ſæpè ſtudet. Jacobus in quantum Logicus cantat: Jacobus non in quantum Logicus cantat. Omnis Equus eſſentialiter eſt albus: Aliquis Equus non eſſentialiter eſt albus.*

290. Obj. 3. contra Regulas Exponibilium. Iſtæ ſunt Propoſitiones Contradictoriæ: *Solus Homo loquitur: Non ſolus Homo loquitur*; Sed hæ ſunt ſimul Falſæ in caſu, quo nullus Homo loquitur: Ergo Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ.

R. C. Maj. D. Min. Dictæ Propoſitiones ſunt ſimul falſæ, ſi rectè, & juxta Regulas Summuliſticas exponuntur, N. Secùs, Tranſeat. Si autem non exponantur juxta Regulas Summuliſticas, Nego tunc Suppoſitum, videlicet, eas eſſe Contradictorias. Prima igitur Propoſitio: *Solus Homo loquitur*; juxta datas Regulas ſic

ſic debet exponi: *Homo loquitur*, *& nihil diſtinctum ab Homine loquitur*; & hæc in poſito caſu eſt falſa; quia aſſerit, hominem loqui, cùm tamen, ùt ponitur, nullus homo loquatur. Secunda verò Propoſitio: *Non ſolus Homo loquitur*, exponenda eſt hôc modô: *Vel Homo loquitur*, *vel etiam aliquid diſtinctum ab Homine loquitur*; quæ Propoſitio eſt vera, ſi nullus Homo loquatur.

291. Obj. ult. Hæ Propoſitiones: *Tantùm DEUS eſt mendax*: *Non tantùm DEUS eſt mendax*; ſunt Contradictoriæ: Atqui ambæ ſunt falſæ, utpote etiam blaſphemæ: Ergo Contradictoriæ poſſunt ſimul eſſe Falſæ.

R. cum diſtinctione. Vel enim, *Non*, ita ſumitur, ut afficiat totam ſecundam Propoſitionem, & eam reddat Negativam, vel ita ſumitur, ut afficiat ſolam Particulam. *Tantùm?* Si primum, tunc C. Maj. quòd ſint Contradictoriæ; Nego autem ambas tunc eſſe Falſas; quia ſic ſecunda Propoſitio habet hunc ſenſum: *Vel DEUS non eſt mendax*, *vel non ſolus ipſe*, quæ Vera eſt, & Negativa, ſi autem ſecundum dicas, tunc N. Maj. quòd ſint Contradictoriæ, quia ſic ſenſus ſecundæ Propoſitionis erit: *DEUS eſt mendax*, *ſed non tantùm ipſe*. Cœterùm quamvis ejuſmodi Propoſitiones in primo ſenſu acceptæ omninò ſint veræ, tamen non ſunt temerè proferendæ, ne aures lædant Homi-

Digitized by Google

Hominum, qui earum expoſitionem non penetrant.

ARTICULUS V.

De Æquipollentia Propoſitionum.

Definitio Æquipollentiæ Propoſitionum.

292. ÆQuipollentia Propoſitionum, ut cum Communi ait Arriaga hic Diſp. 2. ſect. 5. n. 74. eſt duarum Propoſitionum Æquivalentia, ſeu, quod perinde eſt, eadem vis ſignificandi. Fit autem hæc Æquivalentia, ac eadem vis ſignificandi, ratione adjectæ Particulæ: *Non*; quæ negat omnia, quæ poſt ſe invenit, Quantitatem, & Qualitatem evertit, facitque ex Propoſitionibus Affirmativis Negativas; ex Univerſalibus Particulares, ac viciſſim; unde à Philoſophis, *Particula Malignantis natura* vocatur, ùt jam dictum eſt. Itaque Æquipollentia locum habet in Propoſitionibus, quarum Subjectum eſt Terminus Comunis, affectus aliquo Signo Particularitatis, aut Univerſalitatis. Adhibetur autem Æquipollentia ad explicandas Propoſitiones obſcuriores; ab una enim ad alteram bona eſt Conſequentia; cùm utraque eandem ſignificationem obtineat; & qui Propoſitionem ſub uno Modo non capit, aut non admittit; eandem, hoc pacto, ſub æquipollentibus Terminis intelliget, ac, ſi vera eſt, cogetur admittere.

293. Totum Æquipollentiæ artificium continetur hoc Verſu: *Artificium Æquipollentiæ.*
Præ Contradic; Poſt Contra; Præ, Póſtque, Subalter.

Verſus autem hic complectitur tres Regulas, indicantes, quomodò per Particulam: *Non*; Propoſitiones, quæ ſunt Oppoſitæ, fiant Æquipollentes. Prima Regula eſt de Contradictoriis, & indicatur his vocibûs: *Præ Contradic*. Senſus eſt: Si ſint æquandæ Propoſitiones Contradictoriæ; Particula: *Non*; debet præponi Subjecto, ejúſque Signo, ſeu debet præponi toti Propoſitioni. In exemplo; Hæ Propoſitiones ſunt Contradictoriæ: *Omnis homo eſt doctus*; *Aliquis homo non eſt doctus*. Jam præpone Particulam: *Non*; alterutri, & erunt Æquipollentes. Sic: *Non omnis homo eſt doctus*; idem ſignificat, ac: *Aliquis homo non eſt doctus*. Item: *Non aliquis homo non eſt doctus*; idem ſonat, ac: *Omnis homo eſt doctus*. Itaque, ſi quis unam ex prioribus non intelligeret, aut negaret, poſſet ea explicari, aut etiam probari per alteram, quæ Æquipollens redderetur. *Prima Regula eſt pro Contradictoriis.*

294. Secunda Regula eſt pro Contrariis, & Subcontrariis, proponitúrque his verbis: *Poſt Contra*. Senſus eſt: Si æquandæ ſint duæ Contrariæ, vel Subcontrariæ; Particula: *Non*; debet poni poſt Subjectum; v. g. Sint æquandæ hæ Contrariæ: *Omnis homo currit*; *Nullus homo currit*. Pone in alterutra Propoſitione *Secunda eſt pro Contrariis, & Subcontrariis.*

Particulam: *Non;* poſt Subjectum, fient ex Contrariis Æquipollentes; nam hæc: *Omnis homo non currit;* idem ſignificat, ac iſta: *Nullus homo currit.*

Tertia eſt pro Subalternis.

295. Tertia Regula eſt pro Subalternis, & traditur his vocibûs: *Præ, Póſtque, Subalter.* Senſus eſt: Si æquandæ ſint Propoſitiones Subalternæ; Particula: *Non;* bis ſuperaddenda eſt illi Propoſitioni, quam æquare vis alteri; videlicet ſemel ante, & ſemel poſt Subjectum. v. g. Iſtæ Propoſitiones ſunt Subalternæ: *Omnis homo eſt albus; Aliquis homo eſt albus.* Itaque ſi Subjecto primæ Propoſitionis præponas, & poſtponas Particulam: *Non;* dicáſque: *Non omnis homo non eſt albus;* æquivalet ſecundæ; ſcilicet huic: *Aliquis homo eſt albus;* Nam duæ Negationes faciunt unam Affirmationem. Similiter ſi Subjecto ſecundæ Propoſitionis præponas, & ſimul poſtponas Negationem, dicáſque: *Non aliquis homo non eſt albus;* ea tunc æquivalebit primæ; ſcilicet huic: *Omnis homo eſt albus.*

Æquipollentia in Compendio.

296. Ut autem memoriæ conſulatur, & facili negotió quælibet Oppoſitæ poſſint per Particulam: *Non;* reddi Æquipollentes: circumferuntur ſequentes Verſus; in quibus ea, quæ inter duo puncta continentur, ſibi æquipollent.

Non omnis, Quidam non: Omnis non, quaſi Nullus:

Non

Non nullus, Quidam: Sed Nullus non, valet Omnis:
Non aliquis, Nullus: Non quidam non, valet Omnis:
Non alter, Neuter: Non alter non, quoque Uterque.

ARTICULUS VI.

De Converſione Propoſitionum.

297. CONverſio eſt unius Propoſitionis ad alteram per Extremorum Tranſpoſitionem neceſſaria Conſequentia. Ita Comptonus Diſp. 6. ſect. 4. cum Communi. Eſt autem Tranſpoſitio Extremorum Mutatio Subjecti in Prædicatum, & Prædicati in Subjectum. Exemplum ſit hoc: *Nullus homo eſt canis: Ergo nullus canis eſt homo.* Propoſitio, quæ converti debet, dicitur Converſa; altera verò, quæ ex hac infertur, dicitur Convertens. Cæterùm adhibetur Converſio per modum alicujus Argumentationis; ac itidem ſervire poteſt, ut ſi quid negatum fuerit ſub una Propoſitione, in qua concipitur fortaſſis obſcurius, concedi debeat ſub alia Propoſitione, in qua ponitur clarius. Ratio porro Converſionis, neceſſariæque Conſequentiæ, eſt hæc. Inprimis in Propoſitione Affirmativa: Si ideo poteſt affirmari Prædicatum de Subjecto; *Definitio Converſionis.*

jecto; quia cum eo identificatur; tunc etiam Subjectum de Prædicato poterit affirmari; quia viciſſim etiam illud cum iſto eſt identificatum. Dein verò in Negativa: Si Prædicatum negari poteſt de Subjecto; quia non eſt identificatum cum Subjecto; etiam Subjectum poterit negari de Prædicato; quia non eſt cum eo identificatum.

Converſio eſt triplex; 298. Converſionis tres ſunt Species. Prima eſt Converſio Simplex; Secunda eſt Converſio per Accidens; Tertia eſt Converſio per Contrapoſitionem. *Simplex;* Converſio Simplex fit, cùm, retenta eadem Quantitate, & Qualitate Propoſitionis, Subjectum mutatur in Prædicatum, & Prædicatum in Subjectum; ùt in priori Exemplo; ac etiam in iſto: *Nullum animal eſt planta: Ergo nulla planta eſt animal.* *Per accidens;* Converſio per Accidens eſt, quando Extrema mutantur, manente Qualitate, mutata tamen Quantitate, ita ut ex Univerſali inferatur Particularis, hôc pacto: *Omnis homo eſt animal: Ergo aliquod animal eſt homo.* *Per contrapoſitionem.* Converſio per Contrapoſitionem eſt, quando, manente eadem Quantitate, & Qualitate, mutantur Extrema, ac ex Finitis redduntur Infinita; adjectâ videlicet ante Subjectum, & ante Prædicatum Particulâ: *Non;* ùt: *Omnis homo eſt rationalis; Ergo omne non rationale eſt non homo.*

Quænam Propoſitiones conver- 299. Jam verò Converſione Simplici convertuntur Propoſitiones Univerſalis Negativa, & Particularis Affirmativa; ùt:

ùt: *Nullus homo eſt lapis: Ergo nullus lapis eſt homo.* Ac rurſum: *Aliquis homo eſt animal; Ergo aliquod animal eſt homo.* Converſione per Accidens convertitur Univerſalis Affirmativa, & Univerſalis Negativa; ùt: *Omnis Leo eſt rugibilis: Ergo aliquod rugibile eſt Leo. Nullus homo eſt lapis: Ergo aliquis lapis non eſt homo.* Converſione autem per Contrapoſitionem convertuntur Univerſalis Affirmativa, & Particularis Negativa; ùt: *Omnis homo eſt vivens: Ergo omne non vivens eſt non homo. Aliquod animal eſt brutum: Ergo aliquod non brutum non eſt non animal.* Regulæ hæ continentur iſtis Verſibûs:

tantur Converſione Simplici.

Vel per Accidens.

Aut Per Contrapoſitionem.

Regulæ hæ rurſum explicantur.

Simpliciter fEcI, convertitur EvA Per Acci.
AſtO Per contra; ſic fit Converſio tota.

300. Ut autem iſti Verſus intelligantur, notandæ ſunt quatuor hæ Litteræ: A, E, I, O; quæ vocibûs fEcI; EvA; &, AſtO, continentur. Littera, A, refert Propoſitionem Univerſalem Affirmativam; Littera, E, Univerſalem Negativam; Littera, I, Particularem Affirmativam; Littera, O, Particularem Negativam; ùt aliis duobûs hiſce Verſiculis exprimitur:

Aſſerit A, negat E, ſed Univerſaliter ambæ;
Aſſerit I, negat O, ſed Particulariter ambo.

Itaque Litteræ E, & I, in voce: fEcI; contentæ, ſignificant Propoſitionem Uni-

Digitized by Google

verſalem Negativam, & Particularem Affirmativam, converti Simpliciter, ùt dictum eſt. Litteræ E, & A, in voce: EvA, contentæ indicant Propoſitionem Univerſalem Negativam, & Univerſalem Affirmativam, converti per Accidens. Litteræ denique A, & O, quas complectitur vox: AſtO; indicant Propoſitiones Univerſalem Affirmativam, & Particularem Negativam converti per Contrapoſitionem.

Quædam advertenda circa Converſionem.

301. Advertendum autem ſedulò circa Converſionem Propoſitionum, ut totum Subjectum, & totum Prædicatum, inter ſe transmutentur; ut Subjectum, & Prædicatum, in utraque Propoſitione accipiantur in eadem Suppoſitione, & in iiſdem Circumſtantiis, in eodem Statu, in eadem Ampliatione, Reſtrictione, Appellatione, & ſi quæ ſint ejusmodi; mutatur tamen Quantitas, & Qualitas, ùt ex Regulis patet. Quod ſi Subjectum, aut Prædicatum, non ſit totum explicitè in Propoſitione, quam aliquis vult convertere; opportet Propoſitionem priùs reſolvere, ut totum Subjectum, & totum Prædicatum, explicitè ponantur. v. g. Si vis convertere has Propoſitiones: *Omnis homo libenter bibit vinum. Omne vinum eſt in dolio*; non ſtatim licet ſic convertere: Ergo omne vinum libenter bibit hominem. Omne dolium eſt in vino. Sed primam ſic priùs reſolves: *Omnis homo eſt libenter bibens vinum*; Secundam autem

tem ſic: *Omne vinum eſt exiſtens in dolio.* Unde Converſæ hæ prodibunt; *Ergo aliquod libenter bibens vinum eſt homo. Aliquod exiſtens in dolio eſt vinum.* Si verbum ſit futuri temporis; reſolvenda eſt Propoſitio per participium Futuri temporis; e.g. hæc Propoſitio: *Omnis Juvenis erit Senex*; reſolvitur in iſtam: *Omnis Juvenis eſt futurus Senex:* Unde Converſa prodibit non quidem hæc: *Ergo omnis Senex erit Juvenis;* ſed hæc: *Ergo aliquod futurum Senex eſt Juvenis.*

PARAGRAPHUS UNICUS.

Solvuntur Objectiones.

302. OBj. 1. Hæc Converſio eſt bona: *Omnis homo eſt animal rationale: Ergo omne animal rationale eſt homo.* Ergo Univerſalis Affirmativa poteſt converti Simpliciter.

R. D. A. Ea Converſio eſt bona Materialiter, C.A. Formaliter, N. A. & C. Materialiter bona dicitur ea Converſio, ùt etiam de Argumentatione infra explicabitur, quæ quidem in uno, aut altero exemplo ſimilis Formæ bene concludit; in aliis autem fallit; ùt fit in Converſione modò allata, in qua fallunt, & malè concludunt Exempla alia ſimilis Formæ; v.g. iſtud: *Omnis Leo eſt animal: Ergo omne*

verſalem Negativam, & Particularem Affirmativam, converti Simpliciter, ùt dictum eſt. Litteræ E, & A, in voce: EvA, contentæ indicant Propoſitionem Univerſalem Negativam, & Univerſalem Affirmativam, converti per Accidens. Litteræ denique A, & O, quas complectitur vox: AſtO; indicant Propoſitiones Univerſalem Affirmativam, & Particularem Negativam converti per Contrapoſitionem.

Quædam advertenda circa Converſionem.

301. Advertendum autem ſedulò circa Converſionem Propoſitionum, ut totum Subjectum, & totum Prædicatum, inter ſe transmutentur; ut Subjectum, & Prædicatum, in utraque Propoſitione accipiantur in eadem Suppoſitione, & in iiſdem Circumſtantiis, in eodem Statu, in eadem Ampliatione, Reſtrictione, Appellatione, & ſi quæ ſint ejusmodi; mutatur tamen Quantitas, & Qualitas, ut ex Regulis patet. Quod ſi Subjectum, aut Prædicatum, non ſit totum explicitè in Propoſitione, quam aliquis vult convertere; opportet Propoſitionem priùs reſolvere, ut totum Subjectum, & totum Prædicatum, explicitè ponantur. v. g. Si vis convertere has Propoſitiones: *Omnis homo libenter bibit vinum. Omne vinum eſt in dolio*; non ſtatim licet ſic convertere: Ergo omne vinum libenter bibit hominem. Omne dolium eſt in vino. Sed primam ſic priùs reſolves: *Omnis homo eſt libenter bibens vinum*; Secundam autem

tem ſic: *Omne vinum eſt exiſtens in dolio.* Unde Converſæ hæ prodibunt; *Ergo aliquod libenter bibens vinum eſt homo. Aliquod exiſtens in dolio eſt vinum.* Si verbum ſit futuri temporis; reſolvenda eſt Propoſitio per participium Futuri temporis; e.g. hæc Propoſitio: *Omnis Juvenis erit Senex*; reſolvitur in iſtam: *Omnis Juvenis eſt futurus Senex:* Unde Converſa prodibit non quidem hæc: *Ergo omnis Senex erit Juvenis*; ſed hæc: *Ergo aliquod futurum Senex eſt Juvenis.*

PARAGRAPHUS UNICUS.

Solvuntur Objectiones.

302. OBj. 1. Hæc Converſio eſt bona: *Omnis homo eſt animal rationale: Ergo omne animal rationale eſt homo.* Ergo Univerſalis Affirmativa poteſt converti Simpliciter.

R. D. A. Ea Converſio eſt bona Materialiter, C. A. Formaliter, N. A. & C. Materialiter bona dicitur ea Converſio, ùt etiam de Argumentatione infra explicabitur, quæ quidem in uno, aut altero exemplo ſimilis Formæ bene concludit; in aliis autem fallit; ùt fit in Converſione modò allata, in qua fallunt, & malè concludunt Exempla alia ſimilis Formæ; v.g. iſtud: *Omnis Leo eſt animal: Ergo omne*

ne animal eſt Leo. Cæterùm Formaliter bona eſt Converſio, cùm in tali Forma nunquam ſequatur mala Concluſio, ùt fit in omnibus Formis, ſeu Exemplis, ſupra allatis.

303. Obj. 2. In Converſionibus legitimis, ſupra allatis, ſæpè ſequitur ex vero falſum: Ergo nulla eſt prior Reſponſio; aut Regulæ non ſunt bonæ. P. A. Exemplis. Hæ Converſiones ſunt legitimæ, & tamen in iis apertè ex vero ſequitur falſum. 1. *Nullus mus comedit felem: Ergo nulla felis comedit murem.* 2. *Nulla fornax eſt in igne: Ergo nullus ignis eſt in fornace.* 3. *Petrus ſanctior eſt, quàm Paulus: Ergo Paulus ſanctior eſt, quàm Petrus.*

R. N. A. Converſiones allatæ non ſunt legitimæ; quia in illis non transmutatur totum Subjectum in totum Prædicatum. Prima ſic convertitur: *Ergo nullum comedens felem eſt mus.* Secunda ſic: *Ergo nullum exiſtens in igne eſt fornax.* Tertia ſic: *Ergo aliquid, quod ſanctius eſt, quàm Paulus, eſt Petrus.* Unde confirmatur, quod ſupra dictum eſt; Si totum Subjectum, aut Prædicatum, non extet explicitè, Converſam exponi debere, antequàm convertatur.

304. Obj. 3. Propoſitiones Converſæ, ſi ſint neceſſariæ, & ſemper veræ, non debent converti in Propoſitiones Contingentes, & tales, quæ poſſunt eſſe falſæ: Sed iſtud fit, ſi obſerventur Leges Con-

ver-

verſionis: Ergo hæ non poſſunt obſervari, nec ſunt bonæ. P. Min. Hæ Propoſitiones: *Omnis Logicus eſt homo. Omne Album eſt corpus*; ſunt neceſſariæ, & ſemper veræ: Sed hæ, juxta Leges, convertuntur in Contingentes tantum, & quæ poſſunt eſſe falſæ. Ergo. P. Min. Illæ Propoſitiones ſic convertuntur: *Aliquis homo eſt Logicus. Aliquod corpus eſt album.* Sed hæ ſunt Contingentes, & poſſunt eſſe falſæ.

R. N. Min. ad P. rurſum N. Min. ad hujus Probationem N. Propoſitiones, quæ afferuntur, eſſe Convertentes priorum; quia Termini non accipiuntur eodem modo in Convertente, quo accepti fuerant in Converſa. Hæc Propoſitio; *Omnis Logicus eſt homo*, ſi ſit neceſſaria, reſolvitur in iſtam conditionatam: *Si exiſtit Logicus, exiſtit homo identificatus cum Logico.* Hujus dein Convertens erit: *Ergo exiſtit homo identificatus cum Logico, ſi exiſtit Logicus.* Hæc autem Propoſitio æquè eſt neceſſaria, ac prior. Pariter alia ſic debet converti: *Omne Album eſt corpus: Ergo aliquod corpus eſt album, ſi exiſtat album.*

305. Obj. 4. Hæ ſequelæ ſunt falſæ: *Nullus oculus eſt neceſſarius ad videndum: Ergo nullum neceſſarium ad videndum eſt oculus.* 2. *Nullus Homo eſt omne Animal: Ergo nullum Animal eſt Homo.* 3. *Homo eſt Nomen: Ergo Nomen eſt Homo.* 4. *Aliqua ſpecies eſt Homo: Ergo aliquis Ho-*

mo eſt Species. 5. DEUS factus eſt Homo: Ergo Homo factus eſt DEUS. 6. Omne Animal præter Hominem eſt irrationale: Ergo aliquod irrationale eſt præter Hominem Animal.

R. C. Has ſequelas eſſe falſas. Ad 1. autem dico, Converſionem eſſe quidem bonam, ſed tam Converſam, quàm Convertentem eſſe falſam, ſi intelligatur de oculo indeterminatè ſumpto, prout debet intelligi. Ad 2. Converſio non eſt legitima; quia termini mutantur: Nam in Converſa Animal ſumitur pro collectione omnium Animalium; in Convertente verò pro ſingulis ſeorſim diſtributivè: unde Convertens debet eſſe hæc: *Ergo nihil, quod eſt omne Animal, eſt Homo.* Ad 3. Homo in Convertente ſumitur cum Suppoſitione Formali; in Converſa verò cum Materiali; adeóque Objectum repræſentationis eſt diverſum; in una repræſentatur vox, *Homo*, in altera Homo à parte rei exiſtens. Converſio itaque ſic formari debet: *Vox, Homo, eſt Nomen: Ergo aliquod nomen eſt Vox, Homo.* Ad 4. In Converſa Homo ſumitur Secundò-Intentionaliter, adeóque iterum mutatur Objectum repræſentationis. Senſus igitur Converſionis debet eſſe iſte: *Aliqua Species eſt Homo confusè acceptus: Ergo aliquid, quod eſt Homo confusè acceptus, eſt ſpecies.* Ad 5. Converſa eſt ita reſolvenda: *DEUS eſt aliquid, quod factum eſt Homo;* cujus convertens erit: *Ergo Aliquid, quod*

Digitized by Google

quod factum eſt Homo , eſt DEUS. Ad 6. Propoſitio illa compoſita eſt ; ut igitur clara, & facilis evadat illius Converſio, exponi priùs Propoſitio debet , & reduci ad Categoricas , hôc pacto : *Homo non eſt irrationalis , & omne aliud Animal eſt irrationale.* Cujus Propoſitionis Copulativæ Convertens erit : *Aliquod non irrationale eſt Homo , & aliquod irrationale eſt aliud Animal.*

QUÆSTIO TERTIA.

De Tertia Mentis Operatione.

GRadum tandem facimus ad Tertiam, eámque nobiliſſimam , Mentis Operationem , ſive ad Argumentationem , ac Diſcurſum ; ad quam, quæ hactenus dicta ſunt de Prima , & Secunda Mentis Operatione, de Simplici nimirum Apprehenſione, & de Judicio , referuntur. Vocatur autem hæc Tertia Mentis Operatio , Argumentatio quidem ; quia in illa ex uno arguimus aliud ; Diſcurſus verò ; quia Intellectus itidem ex cognitione unius tranſit , & quaſi diſcurrit ad cognitionem alterius. Dicitur etiam , Cognitio mediata, & Judicium mediatum ; quia fit mediantibus unâ, aut pluribus, Propoſitionibus.

Tertia Mentis Operatio.

Vocatur etiam Argumentatio ; Diſcurſus ; Et Judicium mediatum.

AR-

ARTICULUS I.

Quid ſit Argumentatio in genere; & Quænam ad eam requirantur?

Definitio Argumentationis.

306. IGitur Argumentatio, ſeu Diſcurſus, eſt Oratio illativa unius ex alio; ſeu Argumentatio eſt Progreſſio ab una veritate ad aliam, ob connexionem, quam una veritas habet cum alia. Exemplo ſit hæc Oratio: *Sol lucet: Ergo Dies eſt;* in qua ex priore veritate; nimirum ex hoc, quòd Sol luceat; infertur altera; videlicet, quòd dies ſit. Circa hanc Definitionem

In Argumentatione Tria reperiuntur; Antecedens; Conſequens; & Conſequentia.

307. Not. 1. Tria in omni Argumentatione requiri; nempe: Antecedens, Conſequens, & Conſequentiam. Antecedens eſt illud, ex quo alterum infertur; Conſequens eſt illud, quod infertur ex alio; Conſequentia eſt Connexio Utriusque, vi cujus Conſequens infertur ex Antecedenti. Antecedens ſubinde unâ, ſubinde duabus Propoſitionibûs conſtat: Si unâ tantùm; tunc ſimpliciter vocatur Antecedens: ſi duabûs; tunc eæ dicuntur etiam Præmiſſæ, quarum una eſt Major, altera Minor; ùt dictum initiò jam eſt, & infra ſuô locô, accuratiùs explicabitur. Conſequens etiam vocatur Concluſio. Conſequentia porrò, quam Illationem etiam

am nominant, plerumque indicari ſolet per Particulam: *Ergo*; quæ etiam ob eam cauſam: Nota Illationis, appellatur. Exemplo ſit iſte diſcurſus; *Omnis homo eſt Animal: Ergo Petrus eſt Animal*; In eo Antecedens eſt hæc Propoſitio: *Omnis homo eſt Animal*; Conſequens eſt iſta: *Ergo Petrus eſt Animal*; Conſequentia autem eſt Connexio, quam poſtrema veritas habet cum priore. Si autem dicerem; *Omnis homo eſt Animal: Sed Petrus eſt homo: Ergo Petrus eſt Animal*; duæ priores Propoſitiones, ex quibus conſtat Antecedens, vocarentur Præmiſſæ.

308. Not. 2. Conſequentiam aliam eſſe Objectivam, aliam Formalem. Conſequentia Objectiva eſt Connexio, quam à parte rei habet Objectum Conſequentis cum Objecto Antecedentis, qualis datur in hoc Diſcurſu: *Homo eſt Rationalis: Ergo eſt Riſibilis*; Riſibile enim à parte rei, talem habet connexionem cum Rationali, ut homo non poſſit eſſe Rationalis, quin ſit Riſibilis. Conſequentia Formalis eſt, quæ oritur ex Diſpoſitione Terminorum, ac Propoſitionum, ratione cujus Concluſio ita connectitur cum Antecedente, ut quandocunque talis Diſpoſitio Terminorum, & Propoſitionum datur, Conſequens non poſſit eſſe falſum, ſi Antecedens ſit verum; ut fit in hoc Exemplo, *Omnis Logicus eſt doctus: Petrus eſt Logicus: Ergo Petrus eſt doctus.* *Conſequentia alia eſt Objectiva; Alia Formalis.*

309. Not. 3. Aliam Argumentationem *Argumen-*

tatio etiam eſt duplex, Formalis; Et Virtualis.

nem eſſe Formalem ; aliam Virtualem. Formalis eſt, quæ conſtat pluribus Propoſitionibûs inter ſe realiter diſtinctis ; v. g. *Per peccatum offenditur Deus : Ergo peccatum eſt fugiendum.* Virtualis eſt, quæ conſtat unica Propoſitione, ſed pluribus æquivalente ; v. g. *Quia Deus per peccatum offenditur, peccatum eſt fugiendum.*

Formalis alia eſt Bona; Alia Mala.

Argumentatio Formalis alia eſt Bona, alia Mala. Bona eſt, in qua Conſequens ſequitur ex Antecedente, ùt in exemplo mox allato. Mala eſt, in qua Conſequens non ſequitur ex Antecedente, nec cum eo habet connexionem ; ùt : *Ruſticus ſaltat : Ergo baculus eſt in angulo.* Hæc nec uſui eſt, nec niſi abuſivè eſt Argumentatio.

Argumentatio Formalis Bona eſt triplex; Formaliter Bona;

310. Not. 4. Argumentationem Formalem Bonam aliam dici Formaliter tantùm Bonam ; aliam verò Materialiter duntaxat Bonam ; aliam denique Materialiter, & Formaliter Bonam. Formaliter tantùm Bona eſt, in qua datur Conſequentia tantùm Formalis ; ſeu, in qua licèt Propoſitiones non ſint veræ, talis tamen eſt Forma, & Diſpoſitio Terminorum, ac Propoſitionum, ut, ſi Præmiſſæ eſſent veræ, Concluſio quoque neceſſariò eſſet vera, & quidem in omni Materia ; ùt ſi dico : *Omnis Leo eſt rationalis : Omne rationale eſt latrabile : Ergo omnis Leo eſt latrabilis.*

Materialiter Bona;

Materialiter tantùm Bona eſt, in qua datur Conſequentia tantùm Objectiva, non verò Formalis ; ſeu in qua Conſequens deducitur quidem ex Antecedente ; id

verò

verò non fit vi Diſpoſitionis Terminorum, ac Propoſitionum, ſed præcisè propter Connexionem, quam Conſequens aliunde habet cum Antecedente. Unde, ſervata iſtâ prorſus Formâ, ſive Diſpoſitione Terminorum, ac Propoſitionum, ex alio Antecedente vero poteſt deduci Conſequens falſum. Breviùs ſic dici poteſt: Argumentatio Formaliter Bona eſt illa, quæ concludit in omni Materia; Materialiter tantùm Bona eſt illa, quæ non in omni, ſed in aliqua tantùm Materia concludit. Talis Argumentatio, Materialiter tantùm Bona, eſt hæc: *Aliquis homo eſt rationalis; Aliquis homo eſt riſibilis: Ergo aliquod riſibile eſt rationale.* Nam, ſervatâ eâdem prorſus Formâ, deduci poteſt ex vero falſum; ùt patet in hac alia Argumentatione: *Aliquod animal eſt Elephas: Aliquod animal eſt Muſca: Ergo aliqua Muſca eſt Elephas.* Porro Materialiter ſimul, & Formaliter Bona dicetur Argumentatio, in qua omnes Propoſitiones ſunt veræ, & Conſequens de ſe jam eſt connexum cum Antecedente, ac inſuper Forma, ſeu Diſpoſitio Terminorum, ac Propoſitionum, talis eſt, ut in nulla ſimili Forma, nulla in Materia, ex Antecedente vero poſſit deduci Conſequens Falſum. Talis Argumentatio eſt hæc: *Omnis homo eſt animal: Omne animal eſt ſenſitivum: Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.* Nos deinceps agemus de Argumentatione Formaliter Bona, abſtrahen-

Materialiter ſimul, & Formaliter Bona.

hendo à Bonitate Materiæ; quippe, cùm de hac ſæpiſſimè non conſtet; in idipſum Diſcurſus Formalis intenditur, ut per eum Bonitas illa Materiæ, ſive veritas Objectiva, reperiatur; in iis quidem, quæ demonſtrari poſſunt, evidenter; in aliis autem, de quibus tanta certitudo haberi nequit, ſaltem probabiliter.

Concluſio alia eſt Neceſſaria Neceſſitate Conſequentiæ; Alia Neceſſitate Conſequentis; Alia Neceſſitate Conſequentiæ, & Conſequentis.

311. Not. 5. Dari Concluſionem aliam Neceſſariam neceſſitate Conſequentiæ; aliam Neceſſariam neceſſitate Conſequentis; ac aliam demum Neceſſariam neceſſitate Conſequentiæ, & Conſequentis ſimul. Concluſio Neceſſaria neceſſitate Conſequentiæ tantùm, eſt illa, quæ datur in Argumentatione duntaxat Formaliter Bona. Neceſſaria neceſſitate ſolius Conſequentis eſt illa, quæ datur in Argumentatione tantùm Materialiter Bona. Neceſſaria denique neceſſitate Conſequentiæ, & Conſequentis ſimul, eſt illa, quæ datur in Argumentatione Materialiter, & Formaliter, Bona; ùt patet ex iis, quæ dicta ſunt.

Inter Diſputandum diſtinguitur Conſequens, non autem Conſequentia.

312. Not. 6. Inter Diſputandum nunquam diſtingui Conſequentiam; ſed diſtinguitur duntaxat Conſequens. Ratio eſt; quia Conſequens, cùm ſit Propoſitio, quæ ex Antecedente infertur, poteſt habere diverſos ſenſus, & in uno quidem connecti cum Antecedente, in altero autem non connecti; Unde tunc diſtinguitur, ac in uno ſenſu conceditur, in altero negatur. Conſequentia verò, cùm aliud non

non ſit, quàm connexio unius Objecti cum altero, non poteſt habere diverſos ſenſus; ſed abſolutè vel datur, vel non datur; hinc abſolutè concedi etiam debet, vel negari.

ARTICULUS II.

De Speciebus Argumentationis.

313. SEx vulgò enumerantur Species Argumentationis. 1. Eſt Syllogiſmus. 2. Enthymema. 3. Inductio. 4. Exemplum. 5. Dilemma. 6. Sorites. Nobiliſſima Species eſt Syllogiſmus, de quo infra. Reliquæ hìc explicabuntur. *Sex ſunt Species Argumentationis.*

314. Itaque Enthymema eſt Argumentatio, in qua ex una tantùm Præmiſſa infertur Concluſio, ùt: *Homo eſt animal: Ergo eſt vivens.* Vocatur etiam hæc Argumentatio Syllogiſmus Imperfectus; ob defectum ſcilicet alterius Præmiſſæ. Poteſt autem Enthymema facilè reduci ad Syllogiſmum Perfectum, addendo nimirum eam, quæ deeſt, Præmiſſam. Sic prius Enthymema eô pactô deducitur ad hunc Syllogiſmum: *Omne animal eſt vivens: Homo eſt animal: Ergo homo eſt vivens.* *Enthymema.*

315. Inductio eſt Argumentatio à Particularibus ſufficienter enumeratis ad Univerſale. V. G. *Hic ignis calefacit, ille* *Inductio.*

ignis calefacit; & ſic de cæteris; *Ergo omnis ignis calefacit.* Pariter Inductio eſt, ſi dico: *Juſtitia*, *Prudentia*, *Temperantia*; sicque percurrendo cæteras virtutes; *ſunt laudanda: Ergo omnis virtus eſt laudanda.*

Exemplum. 316. Exemplum eſt Argumentatio à pari; ſeu eſt Illatio ab uno Singulari ad aliud, ob paritatem rationis. Sic feruntur Argumentati eſſe Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Ignatius de Loyola, difficile initiô virtutis iter decurſuri: *Potuerunt iſti, & iſta, quare non & ego?* ſi detur exceſſus rationis, dicimur Argumentari a fortiori; ùt: *Hoc pondus poteſt ferre puer: Ergo multò magis robuſtus vir.*

Dilemma. 317. Dilemma, quod etiam Syllogiſmum Cornutum vocant, eſt Argumentatio, cujus prior pars, ſeu Antecedens, duo membra continet, quorum alterutrum neceſſariò concedit Adverſarius; quodcunque tamen conceſſerit, impugnari poteſt. Tale eſt illud Dilemma Sancti Auguſtini de Fide Catholica L. 22. de Civit. Dei. c. 5. quo etiam utitur S. Thom. contra Gentes L. 1. c. 6. *Vel Eccleſia toto Orbe diffuſa tàm difficilia ſine miraculis credit, vel non? Si non credit ſine miraculis: Ergo ipſius doctrina eſt firmata miraculis. Si ſine miraculis credit: Hoc ipſum eſt ſummum miraculum.*

Sorites. 318. Sorites denique eſt Argumentatio, in qua per continuam ſeriem multarum Propoſitionum ſemper Prædicatum Pro-

Propoſitionis præcedentis aſſumitur in Subjectum Propoſitionis ſubſequentis; donec tandem per legitimam Concluſionem Prædicatum ultimæ Concluſionis prædicetur de Subjecto primæ Propoſitionis; ut: *Omnis homo eſt animal: Omne animal eſt ſenſitivum: Omne ſenſitivum eſt vivens: Omne vivens eſt Subſtantia: Ergo omnis homo eſt Subſtantia.*

ARTICULUS III.

De Syllogiſmo in genere.

PARAGRAPHUS I.

Traditur Definitio, & Diviſio Syllogiſmi.

319. SYllogiſmum, nobiliſſimum illud Inventum ſuum, & dignum tanto Ingenio Partum definit Ariſtoteles L. 1. Prior. C. 1. quòd ſit Oratio, in qua, quibusdam poſitis, aliud quidpiam ab his, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit, eo quòd hæc ſint. Senſus eſt, quòd Syllogiſmus ſit Oratio, in qua ex duabus Præmiſſis, ob rectam earum in Modo, & Figura diſpoſitionem, deducitur Concluſio per neceſſariam, & formalem Conſequentiam. Porro, in ea Defini- *Definitio Syllogiſmi.*

finitione, Genus eſt: *Oratio*; licèt non Proximum; nam Proximius eſt: *Argumentatio*; Cætera ſe habent per modum Differentiæ. Breviter, & clarè definiunt quidam Syllogiſmum, quòd ſit Argumentatio, in qua poſitis duabûs Præmiſſis neceſſariò ſequitur Concluſio.

Syllogiſmus eſt multiplex. 320. Dividitur Syllogiſmus 1. in Categoricum, ſeu Abſolutum; & in Conditionalem, ſeu Hypotheticum. *Categoricus.* Categoricus conſtat Propoſitionibûs Abſolutis; ùt: *Omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo: Ergo Petrus eſt animal.* *Hypotheticus.* Hypotheticus habet unam ſaltem Propoſitionem Conditionatam; ùt: *Si Petrus eſt homo, eſt animal: Sed Petrus eſt homo: Ergo Petrus eſt animal.* *Simplex.* Dividitur 2. in Simplicem, & Complexum. Simplex eſt, cujus omnes Propoſitiones ſunt Simplices; ut: *Omnis homo eſt animal: Omne animal eſt ſenſitivum: ergo omnis homo eſt ſenſitivus.* *Complexus.* Complexus eſt, cujus una ſaltem Propoſitio eſt Complexa; ùt: *Vel ſol, vel terra movetur: Atqui terra non movetur: Ergo ſol movetur.* *Communis.* Dividitur 3. in Communem, & Singularem, ſeu Expoſitorium. Communis eſt, cujus Medius Terminus eſt Terminus Communis; ùt: *Omne Metallum eſt grave: Sed aurum eſt Metallum: Ergo aurum eſt grave.* Quid ſit Medius Terminus, exponetur Paragraphô ſequenti. *Singularis.* Singularis, ſeu Expoſitorius eſt, cujus Medius Terminus eſt Terminus Singularis; ùt: *Petrus eſt homo: Petrus eſt animal:*

Digitized by Google

mal: Ergo aliquod animal eſt homo. Vocatur autem Syllogiſmus iſte Expoſitorius; eo quòd rem, de qua agit, quodammodò oculis exponat; quippe Singularia nobis ſunt magìs manifeſta, quàm Communia.

321. Dividitur Syllogiſmus 4. celeberrima Diviſione in Analyticum, Topicum, & Sophiſticum. Analyticus, qui etiam Demonſtrativus dicitur, eſt, cujus Præmiſſæ omnes ſunt Evidentes; ùt: *Omne animal eſt ſenſitivum: Omne ſenſitivum eſt vivens: Ergo animal eſt vivens.* Topicus, qui etiam Probabilis, & Dialecticus appellatur, eſt, cujus una ſaltem Præmiſſa eſt duntaxat Probabilis; ùt: *Omnis homo eſt rationalis: Sed Satyrus eſt homo: Ergo Satyrus eſt rationalis.* Sophiſticus eſt, cujus Præmiſſæ tantùm apparenter ſunt Probabiles; vel, qui non benè concludit; ùt: *Hæc capra eſt mater: Hæc capra eſt tua: Ergo hæc capra eſt mater tua.* De triplici hac poſtrema ſpecie Syllogiſmi agetur rurſum infra. *Analyticus.* *Topicus.* *Sophiſticus.*

PARAGRAPHUS II.

De Principiis Intrinſecis Syllogiſmi, ſeu de Ejus Materia, & Forma.

322. SYllogiſmus certa habet Principia, quibùs regulatur. *Principia Syllogiſmi.*

Sunt autem ea duplicis generis: Intrinſeca videlicet, & Extrinſeca. De Extrinſecis paulò pòſt erit ſermo; Intrinſeca modò explicabuntur. Itaque Principiorum Intrinſecorum Syllogiſmi duplex rurſum eſt genus; quippe alia dicuntur Materialia, alia autem Formalia. Principia Materialia quædam ſunt remota, nimirum Termini, quædam Proxima, nimirum Propoſitiones.

Intrinſeca.

Materialia remota.

323. In omni Syllogiſmo Simplici reperiuntur Tres Termini; nempe Majus Extremum, Minus Extremum, ac Medius Terminus. Medius Terminus eſt ille, qui bis ponitur in Præmiſſis. Vocatur autem Medius Terminus; quia, tanquam aliquod Medium, reliquos duos inter ſe connectit, vel dividit; hique in illo vel conveniunt, vel diſcrepant; ùt patebit in Exemplis. Majus Extremum eſt ille, qui occupat præſtantiorem locum in Syllogiſmo, ponitúrque ſemel in Præmiſſis, & ſemel in Concluſione. Cùm itaque præſtantius ſit prædicari, quàm ſubjici; ob eam cauſam, quòd Prædicatum ſe habeat per modum Formæ, Subjectum verò per modum Materiæ; cúmque Præmiſſæ, utpote cauſa Concluſionis, præſtantiores ſint Concluſione; hinc ille Terminus erit Majus Extremum, quod prædicatur in Præmiſſis; vel, ſi nullum Extremum prædicetur in Præmiſſis; ùt fit in Secunda Figura, aut utrumque; ùt in Tertia accidit, de quibus paulò infra; tunc ille Terminus eſt

Medius Terminus.

Majus Extremum.

eſt Majus Extremum, qui prædicatur in Concluſione. Minus Extremum eſt ille, qui eſt Subjectum in Præmiſſis, poniturque etiam in Concluſione; vel ſi neutrum, aut utrumque Extremum ſit Subjectum in Præmiſſis, ùt rurſum evenit in Secunda, & Tertia Figura; Minus Extemum eſt, quod ſubjicitur in Concluſione. Itaque breviter: in Syllogiſmis Primæ Figuræ, Majus Extremum eſt, quod prædicatur in Præmiſſis de Medio Termino; Minus Extremum eſt, quod in Præmiſſis ſubjicitur Medio Termino. In Secunda, & Tertia Figura Majus Extremum eſt, quod prædicatur in Concluſione; Minus Extremum eſt, quod ſubjicitur in Concluſione.

Minus Extremum.

324. Res hæc Exemplis declaratur. Syllogiſmus iſte eſt in Prima Figura; ùt mox patebit, cùm agetur de Figura Syllogiſmi: *Omnis equus eſt animal; Omne animal eſt vivens; Ergo omnis equus eſt vivens.* Itaque Medius quidem Terminus eſt: *Animal*; quia bis ponitur in Præmiſſis; Majus Extremum eſt: *Vivens*; quia prædicatur in Præmiſſis; Minus Extremum autem eſt: *Equus*; quia ſubjicitur in Præmiſſis. Iſte verò Syllogismus eſt in Secunda Figura: *Omnis homo eſt riſibilis: Nullus Leo eſt riſibilis: Ergo nullus Leo eſt homo.* Proin Medius rurſum Terminus eſt: *Riſibilis*; cùm bis ponatur in Præmiſſis; Majus Extremum eſt: *Homo*; quia prædicatur in Concluſione; Minus Extre-

Doctrina hæc exponitur Exemplis.

In Prima Figura.

In Secunda Figura.

mum eſt: *Leo;* quod ſubjicitur itidem in Concluſione. Idipſum vidère eſt in hoc Syllogismo Tertiæ Figuræ: *Aliqua arbor creſcit: Omnis arbor eſt corpus: Ergo aliquod corpus creſcit.* Ubi: *Arbor*; eſt Medius Terminus; quia bis ponitur in Præmiſſis; *Creſcit* verò, ſeu: *Eſt Creſcens*; eſt Majus Extremum; &: *Aliquod Corpus*; eſt Minus Extremum; quia hoc ſubjicitur, illud verò prædicatur in Concluſione.

In Tertia Figura.

Principia Materialia proxima.

325. Materia proxima Syllogismi ſunt Propoſitiones, ùt dictum eſt. Atque hæ ſunt itidem Tres; quarum illa, ùt tenet communior cum Lync. L. 5. Dialect. titul. 5. c. 1. contra Arriagam Diſp. 3. in Sum. ſect. 5. n. 30. propriè eſt Major, quæ continet Majus Extremum; illa Minor, quæ habet Minus Extremum; quocunque dein inter ſe locô ponantur; ac quæcunque ſive præcedat, ſive ſequatur. Poſtrema denique eſt Concluſio, in qua continentur duo Extrema. Duæ priores vocantur etiam Præmiſſæ, ùt ſupra notatum eſt; quia Concluſioni præmittuntur. Atque eo prorſus, qui modò expoſitus eſt, ſenſu accipitur in Præceptis Syllogismorum Major, aut Minor; quæ ſufficiens eſt utilitas hujus Diſtinctionis, contrà quàm agnoſcere velit Arriaga loc. cit. Cæterùm inter diſputandum vulgò, ac promiſcuè illa Propoſitio dicitur Major, quæ primô locô ponitur, Minor, quæ ſecundô; nullo ad Majus, aut Minus Extremum habito reſpectu; Concluſio tertiô locô eſſe ſolet.

Major. *Minor.*

Concluſio.

Sic

Sic in Exemplo Primæ Figuræ mox allato: *Omnis equus eſt animal: Omne animal eſt vivens: Ergo omnis equus eſt vivens*; Major propriè eſt Propoſitio ſecundò locò poſita; quia continet Majus Extremum; Minor verò eſt, quæ primò locò affertur; quia habet Minus Extremum. Econtra in Exemplo Secundæ Figuræ: *Omnis homo eſt riſibilis; Nullus Leo eſt riſibilis: Ergo nullus Leo eſt homo*; Major propriè eſt Propoſitio primò locò poſita; cùm contineat Majus Extremum; Minor verò eſt, quæ adducitur ſecundò locò; cùm in ea ſit Minus Extremum. In Diſputatione autem, ùt notatum eſt, utrobique Major dicitur, quæ primò locò affertur, altera dicitur Minor. *Hujus quoque Doctrinæ Exempla.*

326. Per Principia Formalia Syllogismorum intelligitur eorundem Forma. *Principia Formalia.* Forma autem Syllogismi in genere, ùt loquitur Gervaſius in Elem. Log. c. 3. a. 3. eſt recta Terminorum, ac Propoſitionum Diſpoſitio, qua manente nunquam poteſt eſſe falſa Conclusio; videlicet, ſi Præmiſſæ ſint veræ. Porro hæc Syllogismi Forma duo complectitur: Figuram nempe, & Modum. Figura eſt recta Terminorum Diſpoſitio, Medii Termini ſcilicet cum Extremis, quoad Subjectionem, & Prædicationem. *Figura.* Modus autem eſt apta diſpoſitio Propoſitionum ſecundùm Quantitatem, & Qualitatem. *Modus.* Quantitas Propoſitionis, ùt jam dictum ſuperiùs Q. 2. A. 2. §. 1. eſt ejus Univerſalitas, vel Particula-

ritas: Qualitas autem eſt ejusdem Affirmatio, aut Negatio.

Figuræ ſunt Tres. 327. Figuræ Syllogismorum ſunt Tres; ùt Oviedo Controv. 4. Punct. 3. n. 2. & alii paſſim numerant; Tot enim ſunt diverſæ Figuræ, quot fieri poſſunt diverſæ Combinationes Extremorum cum Medio: Diverſæ autem hæ Combinationes ſunt tres; videlicet una eſt, cùm Medius Terminus ſemel eſt Subjectum, & ſemel Prædicatum; & hæc eſt Prima Figura. Altera eſt, in qua Medius Terminus bis prædicatur; & hæc eſt Secunda Figura. Poſtrema denique, cùm Medius Terminus bis ſubjicitur; & hæc eſt Tertia Figura. Alia verò Terminorum Diſpoſitio non poteſt dari. Exempla cujuslibet Figuræ mox ſubjungo. Cæterùm has Terminorum Diſpoſitiones, & Figuras memoriæ causâ, comprehendunt Dialectici hôc Verſiculô:

Sub: Præ: Prima; Sed Altera bis Præ; Tertia bis Sub.

Exemplum Primæ Figuræ.

Omne animal ſentit:
Omnis homo eſt animal:
Ergo omnis homo ſentit.

Exemplum Secundæ Figuræ.

Nullus lapis eſt animal:
Omnis homo eſt animal:

Ergo

Ergo nullus homo eſt lapis.

Exemplum Tertiæ Figuræ.

Omnis homo eſt animal:
Omnis homo eſt ſubſtantia:
Ergo aliqua ſubſtantia eſt animal.

Modi.

328. JAm verò quævis Figura ſuos Modos habet. Tot autem ſunt Modi, quot poſſunt fieri diverſæ Diſpoſitiones Propoſitionum Syllogismi, ſecundùm Quantitatem, & Qualitatem. Sed ex iis Novendecim numerantur utiles ad concludendum. Ex iis porro alii ſunt Directi; alii Indirecti. Directi autem, ſive qui Directè concludunt, ſunt illi, in quibus Minus Extremum ſubjicitur Majori Extremo in Concluſione. Indirecti verò, ſeu, qui Indirectè concludunt, ſunt illi, in quibus Majus Extremum ſubjicitur Minori Extremo, itidem in Concluſione. Prima Figura continet 9. Modos, ex quibus 4. primi ſunt Directi; reliqui autem Indirecti. Secunda Figura 4. Modos habet, Directos omnes. Tertia denique Figura 6. Modos complectitur, pariter Directos omnes. Unde Indirecti duntaxat ſunt 5. poſteriores Modi Primæ Figuræ. Modi hi, & Figurarum Ordines, exprimuntur ſequentibus Verſibus, barbaris quidem, ut videri poſſent, magnô tamen ingeniô combinatis.

Utiles ſunt Novendecim.

Ex iis aliqui ſunt Directi; Aliqui Indirecti.

Bar-

Barbara, Celarent, Darii, Ferio: Bara-
lipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſo-
morum:
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco:
Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo,
Feriſon.

Explicatio horum Verſuum.

329. Circa Significationem horum Verſuum Not. 1. Singula vocabula denotare certum aliquem Modum Syllogiſticum, juxta Ordinem Figurarum ſuperiùs adductum. Not. 2. Vocabulum quodlibet continere tres Syllabas, quæ referunt totidem Propoſitiones Syllogismi. Si autem aliquod Vocabulum pluribûs Syllabis conſtat, quàm tribus; ùt: Baralipton, & Friſeſomorum; tunc duntaxat tres primæ ſerviunt ad indicandum Modum; reliquæ adduntur Metri causâ; unde extra Metrum dicitur: Baralip; Friſeſom. Ex his Prima Syllaba denotat Majorem, ſeu Propoſitionem, quæ habet Majus Extremum; Secunda Minorem, ſeu Propoſitionem, quæ habet Minus Extremum. Tertia denique Concluſionem. Not. 3. Qualis verò, aut Quanta harum Propoſitionum quælibet eſſe debeat; Univerſalis ſcilicet, an Particularis; Affirmativa, aut Negativa; indicatur Vocalibûs: A, E, I, O; juxta ſenſum per Verſus, ſupra n. 290. adductos, expreſſum. Not. 4. Litteras Conſonantes eum in finem eſſe, ut poſſit

ſit colligi, quomodò Syllogismi Indirectè concludentes, aut etiam Secundæ, & Tertiæ Figuræ, reduci poſſint ad primos 4. Modos Primæ Figuræ, qui Directè, & evidenter concludunt. De hac Reductione autem infra agetur.

330. Cæterùm Syllogismi Expoſitorii, qui ſcilicet Medium Terminum Singularem habent, inter iſtos Modos non comprehenduntur; ſed illi duntaxat, qui habent Medium Communem. Porro ut ſciatur, qua in Figura Syllogismus ſit; indagandus primò eſt Medius Terminus; ex cujus Subjectione, vel Prædicatione, id intelligitur. Ut ſciatur, num Syllogismus Directè, vel Indirectè concludat; inquirendum eſt in Majus Extremum; ex cujus rurſum Prædicatione, vel Subjectione id deſumitur. Ut denique deprehendatur, in quo Modo ſit Syllogismus; attendenda eſt Quantitas, & Qualitas Propoſitionum; quæ omnia ex iis, quæ dicta ſunt, colliguntur. Sed Modorum omnium, & cujusvis Figuræ, Exempla ſubjicio, in quibus quæ definita hactenus de iis ſunt, clarè conſpiciantur.

Quomodò deprehendatur Figura Syllogiſmi; Et ejus Concluſio Directa, aut Indirecta; Ac Modus?

Primæ Figuræ quatuor Modi Directi.

Quatuor Modi Primæ Figuræ Directi.

Bar	*Omne animal eſt ſenſitivum:*
Ba	*Omnis homo eſt animal:*
Ra.	*Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.*

Ce *Nullum animal eſt lapis:*
La *Omnis equus eſt animal:*
Rent. *Ergo nullus equus eſt lapis.*

Da *Omnis homo eſt rationalis:*
Ri *Aliquod animal eſt homo:*
I. *Ergo aliquod animal eſt rationale.*

Fe *Nullum riſibile eſt Leo:*
Ri *Aliquod animal eſt riſibile:*
O. *Ergo aliquod animal non eſt Leo.*

Primæ Figuræ quinque Modi Indirecti.

Quinque Modi Primæ Figuræ Indirecti.

Ba *Omne animal eſt corpus:*
Ra *Omnis homo eſt animal:*
Lip. *Ergo aliquod corpus eſt homo.*

Ce *Nullum animal eſt arbor:*
Lan *Omnis homo eſt animal:*
Tes. *Ergo nulla arbor eſt homo.*

Da *Omnis equus eſt animal:*
Bi *Aliquod hinnibile eſt equus:*
Tis. *Ergo aliquod animal eſt hinnibile.*

Fa *Omnis homo eſt rationalis:*
Pe *Nullus equus eſt homo:*
Smo. *Ergo aliquod rationale non eſt equus.*

Fri *Aliquod animal eſt homo:*
Se *Nulla planta eſt animal:*
Som. *Ergo aliquis homo non eſt planta.*

Se-

Digitized by Google

Secundæ Figuræ quatuor Modi. Sunt Directi omnes.

Ce *Nulla virtus eſt vituperabilis:*
Sa *Omne vitium eſt vituperabile:*
Re. *Ergo nullum vitium eſt virtus.*

Modi Secunda Figura.

Ca *Omnis homo eſt rationalis:*
Me *Nullus lapis eſt rationalis:*
Stres. *Ergo nullus lapis eſt homo.*

Fe *Nullus homo eſt brutum:*
Sti *Aliquis Leo eſt brutum:*
No. *Ergo aliquis Leo non eſt homo.*

Ba *Omnis Leo eſt rugibilis:*
Ro *Aliquod animal non eſt rugibile:*
Co. *Ergo aliquod animal non eſt Leo.*

Tertiæ Figuræ ſex Modi. Sunt itidem omnes Directi.

Da *Omnis homo eſt ſubſtantia:*
Ra *Omnis homo eſt animal:*
Pti. *Ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.*

Modi Tertia Figura.

Fe *Nullus lapis eſt riſibilis:*
Lap *Omnis lapis eſt corpus:*
Pton. *Ergo aliquod corpus non eſt riſibile.*

Di *Aliquod animal eſt homo:*
Sa *Omne animal eſt vivens:*
Mis. *Ergo aliquod vivens eſt homo.*

Da

Da *Omnis miles eſt homo:*
Ti *Aliquis miles eſt impius:*
Si. *Ergo aliquis impius eſt homo.*

Bo *Aliquod animal non eſt vulpes:*
Car *Omne animal eſt vivens:*
Do. *Ergo aliquod vivens non eſt vulpes.*

Fe *Nullum vitium eſt amandum:*
Ri *Aliquod vitium eſt delectabile:*
Son. *Ergo aliquod delectabile non eſt amandum.*

Solvuntur Objectiones.

331. OBj. 1. Omnis Syllogismus conſtat tribus Propoſitionibus; & in quavis Propoſitione ſunt duo Termini: Ergo in Syllogismo ſunt plures, quàm tres Termini; nimirum omnino ſex.

R. D. Secundum Membrum Antecedentis. In quavis Propoſitione ſunt duo Termini, adæquatè diverſi à prioribus, N. Tantùm Inadæquatè diverſi à prioribus, & repetiti, C. iſtud membrum Antecedentis, & altero membro ſimpliciter conceſſo, N.C. Concluſio habet unum Terminum Majoris, & alterum Minoris; Major habet unum Terminum Minoris; & alterum Concluſionis; Minor habet unum Terminum Majoris, & alterum itidem Concluſionis.

332. Obj. 2. Si numerus Figurarum deſumendus eſt ex diverſis Combinationibus Medii Termini cum Extremis, tunc plures ſunt, quàm tres Figuræ: Sed juxta priùs dicta numerus Figurarum deſumendus eſt ex diverſis Combinationibus Medii Termini cum Extremis: Ergo plures ſunt, quàm tres Figuræ. P. Maj Quatuor ſunt Combinationes Medii Termini cum Extremis: Ergo. P. A Primò Medius Terminus poteſt bis ſubjici; ùt fit in Tertia Figura. Secundò Idem poteſt bis prædicari; ùt fit in Secunda Figura. Tertiò poteſt ſubjici in Majore, & prædicari in Minore; ùt fit in Prima. Quartò denique poteſt prædicari in Majore, & ſubjici in Minore: Ergo ſunt quatuor Combinationes Medii Termini cum Extremis. P. hoc ultimum Membrum poſtremi Antecedentis. In hoc Syllogismo: *Omnis homo eſt animal: Omne animal eſt Subſtantia: Ergo omnis homo eſt Subſtantia;* Medius Terminus eſt: *Animal:* Sed iſte prædicatur in Majore, & ſubjicitur in Minore: Ergo Medius Terminus poteſt prædicari in Majore, & ſubjici in Minore. Itaque admitti debebit Quarta Figura, quam Averroes Galeno tribuit, ùt eſt apud Hurtadum Diſp. Log. 10. Sect. 20. §. 120. Nimirum cùm Medius Terminus prædicatur in Majore, & ſubjicitur in Minore. Figura autem Galenica ex Mæderio Diſp. 3. Sect. 2. a. Unic. §. unico exprimitur his Verſibus.

Barbara, Calerent, Dirai, Fireo, Baralipton,
Calentes, Dibatis, Fepaſmo, Freſiſomorum.

R. N. Maj. Syllogismi, & ſubjunctum Antecedens. In ejus Probatione N. ultimum Membrum Antecedentis, & Suppoſitum; quòd illa ſemper ſit Major, quæ ponitur primò locò; illa enim eſt Major, juxta paulò antè dicta, quæ habet Majus Extremum: Atqui Majus Extremum adducti Syllogiſmi eſt in ſecunda Propoſitione: Ergo in eodem ſecunda Propoſitio eſt Major; non verò prima. Unde Syllogismus ille eſt in Barbara; & ſpectat ad primam Figuram, ſolúmque transmutantur quoad ſitum, & collocationem, Propoſitiones; quod ad diverſitatem Figuræ non ſufficit, ùt jam eſt notatum. Itaque nulla eſt neceſſitas Figuræ Galenicæ.

333. Dices 1. Sola Extremorum transpoſitio, quoad ſubjectionem, & prædicationem, mutat Figuram: Ergo etiam transpoſitio Propoſitionum quoad ſitum, & ordinem.

R. C. A. N. Conſ. nam Terminorum transpoſitio eſt intrinſeca, & eſſentialis Propoſitioni, ùt patet ex ipſa definitione Figuræ Syllogiſticæ, quæ dicitur Terminorum Diſpoſitio cum Medio ſecundùm ſubjectionem, & prædicationem; Transpoſitio autem Propoſitionum quoad ſitum, & ordinem in Præmiſſis eſt præcisè Accidentalis, cùm Figura non alligetur illi ordini,

ordini, ſed duntaxat certæ Diſpoſitioni Medii Termini cum Extremis; quæ indifferenter fieri poteſt, quocunque ordine ponantur Præmiſſæ.

334. Dices 2. Sola Terminorum tranſpoſitio mutat Modum, ut patet in Celare, Cameſtres, Datiſi, & Diſamis: Ergo etiam mutat Figuram.

R. N. Quòd ſola Terminorum tranſpoſitio Modum mutet; nam etiam Extrema mutantur; quia Medium diverſimodè conjungitur cum Extremis. Hinc alia Concluſio infertur in Ceſare, alia in Cameſtres; nam in Ceſare, Medium conjungitur cum Majori Extremo Univerſaliter Negativo; & cum Minori Extremo Univerſaliter Affirmativo. In Cameſtres, fit oppoſitò modò. Diverſa autem Extremorum conjunctio cum Medio ſecundùm quantitatem, aut qualitatem, Modum utique mutat.

335. Obj. 3. Ex P. Lynceo in Dialectica L. 5. Tract. 1. c. 4. contra numerum Modorum Syllogiſticorum, à nobis aſſignatorum. Præter allatos novendecim Modos admitti debent alii quinque, qui itidem in omni Materia benè concludunt, ac proin ſunt formaliter boni: ergo non rectè aſſignatur à nobis numerus Modorum Syllogiſticorum, P. A. hic Syllogismus: *Omne Animal eſt Subſtantia; Omnis Homo eſt Animal: Ergo aliquis Homo eſt Subſtantia*, eſt in prima Figura, & quidem in Modo Directo: Ergo non poteſt eſſe in

 ullo

ullo ex Modis Ariſtotelicis; nam ſi in aliquo eſſet, tunc eſſet in Baralip; cùm duæ Præmiſſæ ſint Univerſales Affirmativæ, & Concluſio ſit Particularis Affirmativa: Sed non poteſt eſſe in Baralip; quia concludit directè, ùt dictum eſt, atque etiam patet; Baralip; autem eſt Modus Indirectus; itaque neceſſariò debet Primæ Figuræ quintus ſtatui Modus Directus, quem Lynceus vocat Falaris. Eadem ratione, juxta illum Authorem, Syllogiſmi iſti debent habere peculiares Modos, nec poſſunt comprehendi ſub Ariſtotelicis: 1. *Nullus Homo eſt lapis; Omne Rationale eſt Homo: Ergo aliquid Rationale non eſt Lapis.* 2. *Nullus Homo eſt Lapis: Omne Rationale eſt Homo: Ergo aliquis Lapis non eſt rationalis.* 3. *Nullus Homo eſt Lapis: Omnis Adamas eſt Lapis: Ergo aliquis Adamas non eſt Homo.* 4. *Omnis Adamas eſt Lapis: Nullus Homo eſt Lapis: Ergo aliquis Homo non eſt Adamas.* Primum igitur ex his poſtremis Syllogiſmis dicit eſſe in Terſandros; ſecundum in Pelago; Tertium in Centauro; quartum in Areſtor. Itaque univerſim quinque hi Modi Lyncei continentur iſto verſiculo, horúmque tres primi ſpectant ad primam Figuram, duo autem poſtremi ad ſecundam:

Terſandros, Falaris, Pelago, Centauro,
& Areſtor.

R. cum Soto L. 4. Summul. c. 4. N.

A. ad P. cum eodem dico, ex mente Ariſtotelis eos Modos, qui inferunt Concluſionem Subalternatam, ſeu Particularem, locó Subalternantis, ſeu Univerſalis, non eſſe diverſos, ſed reputari eosdem; quia Subalternata includitur in Subalternante. Adeóque dico, omnes quinque Modos Lyncei debere reduci ad aliquos ex aſſignatis novendecim. Ratio eſt; quia hi quinque Modi non aliter differunt à Modis Ariſtotelicis, quàm per hoc, quòd, ubi Ariſtotelici inferunt Subalternantem, ac Univerſalem, hi inferant Subalternatam, ac Particularem. Sic in allato priore illo Syllogismo, qui ponitur eſſe in Falaris, infertur: Aliquem Hominem eſſe Subſtantiam; cùm tamen bene Univerſaliter inferri poſſet: Omnem Hominem eſſe Subſtantiam. Igitur Modus iſte, Falaris, includitur in Barbara. Par ratio eſt de Syllogiſmis poſteriore loco allatis, eorúmque Modis; nam, Terſandros, quidem includitur in, Celarent: Pelago, in, Celantes; Centauro, in, Ceſare; Areſtor denique in, Cameſtres.

336. Dices 1. Si Falaris non eſt novus Modus, tunc neque, Baralip, erit novus Modus: hoc à nobis non admittitur: Ergo neque id, unde id ſequitur. P. Maj. ideò Baralip, eſt novus Modus; quia locó Univerſalis infert Particularem: atqui hoc fit etiam in, Falaris: Ergo ſi Baralip, eſt novus Modus, etiam, Falaris, talis erit.

R. N. Maj. ad P. N. Maj. Sed ideo;

 quia

quia in Baralip, mutatur Subjectum in Prædicatum in Concluſione. Quod enim in, Barbara, fuit Subjectum in Concluſione, in Baralip, fit Prædicatum, ita quidem, ut intrinſecè mutetur Propoſitio, & ſervata hac Terminorum poſitione Univerſalem Propoſitionem non liceat inferre. Ponamus enim e. g. hunc Syllogismum in, Barbara: *Omne animal eſt Subſtantia: omnis Homo eſt animal: Ergo omnis Homo eſt Subſtantia.* Jam in, Baralip, non infertur hæc Propoſitio: Ergo aliquis Homo eſt Subſtantia, ſed cùm ſit Modus Indirectus, inferri debet: Ergo aliqua Subſtantia eſt Homo.

337. Dices 2. Etiam reliqui Modi à quatuor primis diſtincti poſſunt reduci ad quatuor primos, ùt infra dicetur, cùm agemus de Reductione Syllogismorum, & tamen ii neceſſariò conſtituunt diverſos Modos: Ergo à pari, licèt Modi Lyncei poſſint reduci ad Ariſtotelicos, tamen neceſſariò conſtituent diverſos Modos.

R. C. A. N. Conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd in reductione reliquorum Modorum ad quatuor primos debeant mutari Propoſitiones per Converſionem, aut Terminorum Tranſpoſitionem, ùt itidem infrà patebit. Unde eæ Propoſitiones evadunt novæ ac aliæ, & proin Modi etiam ſunt alii. Sed in Modis Lyncei non mutantur Propoſitiones per ullam Terminorum Tranſpoſitionem; cùm duntaxat fiant Particulares ex Univerſalibus, ubi

ubi tamen etiam Univerſales poſſunt inferri vî Formæ.

338. Dices 3. Licèt in Materia de Converſione pro Propoſitione Univerſali aſſignetur Converſio Simplex; quia Propoſitio Univerſalis poteſt converti ſimpliciter, ita ut ex Univerſali inferatur itidem Univerſalis; tamen pro eadem aſſignatur etiam Converſio per Accidens; quia itidem converti poteſt per Accidens, ita ut ex Univerſali inferatur Particularis, quemadmodùm conſtat ex iis, quæ diximus ſuperiùs de Converſione: Ergo à pari, licèt Syllogiſmi à Lynceo allati poſſint concludere in Modis Ariſtotelis, tamen bene aſſignantur etiam Modi illi alii quinque Lyncei, quia etiam in iſtis poſſunt concludere.

R. C. A. N. Conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd in Converſione per Accidens converti poſſit non tantùm Propoſitio Univerſalis Negativa, ſed etiam alia, ſcilicet Univerſalis Affirmativa; unde tametſi Propoſitio Univerſalis Negativa converti aliter poſſit, quàm per Accidens, nimirùm etiam ſimpliciter, tamen bene aſſignatur etiam Converſio per Accidens, quæ dein etiam Propoſitioni Univerſali Negativæ convenit. Sed nullus Syllogiſmus concludit in Modis à Lynceo aſſignatis, qui non etiam concludat in Modis aſſignatis ab Ariſtotele, quam ob rem illi ſunt ſuperflui. Dein afferuntur omnes Modi Converſionum poſſibiles, qui ſunt

 tan-

Digitized by Google

tantùm tres. Contrà autem non afferuntur omnes Modi poſſibiles Syllogiſmorum, qui ſunt plurimi, ſed tantùm illi, qui peculiariter utiles ſunt, vel in cæteris non continentur; cùm itaque Modi Lyncei contineantur in Ariſtotelicis, ùt vidimus, ac proin nec peculiariter utiles ſint, hinc non admittuntur.

339. Obj. ult. Saltem hic Syllogiſmus: *Omnis Equus eſt Animal: ſed Bucephalus eſt Equus: Ergo Bucephalus eſt Animal*, eſt formaliter bonus: Atqui hic non continetur in uno ex novendecim Modis: Ergo.

R. N. Min. nam pertinet ad, Darii, quia licèt hic Modus ratione Vocalis I, exigat Particularem Minorem, itidem Particularem Concluſionem; tamen dici poſſunt etiam ad illum pertinere Syllogiſmi, qui æquivalenter habent Particularem Minorem, & Concluſionem, uti ſunt illi Syllogiſmi, qui habent quidem ſingularem Minorem, & Concluſionem ſingularem; Medius tamen illorum Terminus eſt Communis. Ajunt etiam aliqui, quòd vi Vocalis I, exigatur Propoſitio Particularis, intelligendo hoc negativè, nempe ut Propoſitio non ſit Univerſalis, per quod non prohibetur, quò minùs Propoſitio ſingularis eſſe poſſit.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS III.

De Principiis Extrinſecis, ſeu Directivis, Syllogiſmi.

Principia Extrinſeca Syllogiſmi.

340. PRincipia Extrinſeca Syllogiſmi ſunt quædam Veritates infallibiles, & lumine naturæ notæ, quibus ille veluti ſolidiſſimis Fundamentis innititur. Duplicis ſunt generis; alia enim ſunt Logica, alia Metaphyſica; quæ utraque hôc ultimatô terminantur, jam ſuperiùs allatô: Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Logica ſunt duo; nimirum hæc: Primum: Dictum de omni; Secundum; Dictum de nullo. Prius fundat Syllogiſmos Affirmativos, & illius ſenſus eſt: Quidquid dicitur de Subjecto Univerſaliter ſumpto, ſeu de Termino perfectè Diſtributivè accepto, dicitur etiam de ſingulis Inferioribus ſub eo contentis. Sic, quia de homine univerſaliter ſumpto dicitur, quòd ſit rationalis; idem dicitur de ſingulis hominibus ſeorſim etiam ſumptis. Alterum fundat Syllogiſmos Negativos, & illius ſenſus eſt iſte: Quidquid negatur de Subjecto univerſaliter ſumpto, ſeu rurſum de Termino perfectè Diſtributivè accepto, negatur etiam de ſingulis Inferioribus ſub eo contentis. Sic; quia de homine, univerſaliter ſumpto, negatur, quòd ſit lapis; idem negatur de ſingulis hominibus.

Sunt duo Logica;

Digitized by Google

Et duo Metaphyſica. 341. Principia Metaphyſica itidem ſunt duo; Affirmativum unum, & Negativum alterum. Affirmativum eſt iſtud: Quæcunque ſunt eadem uni Tertio, ſunt eadem inter ſe. Negativum autem iſtud: Quæcunque diſtinguuntur in uno Tertio, diſtinguuntur inter ſe. Principiô Metaphyſico Affirmativo etiam nituntur Syllogiſmi Affirmativi; & illius ſenſus eſt: Quandocunque duo aliqua ſunt adæquatè identificata cum eodem Tertio, etiam identificantur inter ſe. Sic; quia hæc duo: Animal, & Petrus, identificantur in Tertio; nimirum in homine; etiam identificantur inter ſe; unde rectè concludit hæc Argumentatio: *Omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo: Ergo Petrus eſt animal.* Principiô autem Metaphyſico Negativo itidem nituntur Syllogiſmi Negativi; & illius ſenſus eſt: Quandocunque duo ita ſe habent, ut unum identificetur cum Tertio; alterum verò cum eodem Tertio non identificetur; illa duo non poſſunt inter ſe identificari. Sic; quia homo identificatur cum hoc Tertio: Animal; & lapis cum eodem Tertio non identificatur; ideo homo, & lapis, non poſſunt identificari inter ſe. Unde iterum concludit hæc Argumentatio: *Omnis homo eſt animal: Nullus lapis eſt animal: Ergo nullus lapis eſt homo.*

Quare ea Principia ita vocentur? 342. Duo autem poſteriora Principia ideo vocantur Metaphyſica; quia Identitas, & Diſtinctio, circa quam verſantur,

præcipuè à Metaphyſica conſiderantur. Econtra, cùm Affirmatio, & Negatio, potiſſimùm à Logica conſiderentur; priora duo Principia, quæ circa Affirmationem, & Negationem ſunt, vocantur Principia Logica. Cæterùm utraque ea Principia, tùm Metaphyſica, tum Logica; bona ſunt, & ſufficientia, reperiunturque paſſim conjuncta in Syllogiſmis; cum hoc tamen diſcrimine, quòd Metaphyſica clariùs dignoſcantur in Modis Secundæ, & Tertiæ Figuræ, uti & in Syllogiſmis expoſitoriis; Logica verò in aliis clariùs appareant, uti in quatuor Modis Directis primæ Figuræ, quemadmodùm ait Mæder. Diſp. 3. Section. 3. a. 1.

In quibus Syllogiſmis potiſſimùm apparent.

343. Porro circa Principia Metaphyſica ulteriùs Not. 1. Aliud eſſe: Duo diſtingui in Tertio; & aliud: Duo diſtingui à Tertio; tunc enim Duo diſtinguuntur in uno Tertio, quando ex iis Unum cum Tertio identificatur, & Alterum ab eo diſtinguitur. Tunc autem Duo diſtinguuntur à Tertio, quando nec Unum, nec Alterum identificatur cum Tertio; Hinc multa diſtinguuntur à Tertio, quæ non diſtinguuntur inter ſe; ùt: homo, &: animal rationale, quæ diſtinguuntur à lapide, & tamen non diſtinguuntur inter ſe. Not. 2. ut ea Principia bene concludant; ſic accipienda eſſe, ut ſenſus ſit: Quæcunque adæquatè, virtualiter, & ſecundùm eandem partem, ſunt eadem uni Tertio, ſunt eadem inter ſe; &: Quæcunque realiter,

Quædam Notanda circa Principia Metaphyſica.

liter, adæquatè, & non tantùm virtualiter, aut ſecundùm diverſam partem, diſtinguuntur in uno Tertio, diſtinguuntur inter ſe.

Quænam identificentur adæquatè? Aut virtualiter.

344. Adæquatè autem identificantur inter ſe, quæ ſecundùm nullam ſui partem diſtinguuntur à ſe invicem: ùt: *Rationale*, &: *Riſibile*, in eodem homine. Virtualiter identificantur, quæ ita ſunt unum, ut nullum Prædicatum dici poſſit de uno, quod in ſenſu reali non conveniat alteri; quamvis iſtud in ſenſu formali, ſeu ſecundùm noſtrum concipiendi modum, ipſi non conveniat. Sic identificantur Omnipotentia, & Sapientia DEI, aliæque Ejus Perfectiones. Adæquatè diſtinguuntur, quæ in nullo Prædicato conveniunt; ùt: *Homo*, &: *Canis*. Inadæquatè diſtinguuntur, quæ ſecundùm partem ſui identificantur cum altero, & ſecundùm partem ab eo diſtinguuntur; ùt *Homo*, &: *Animal*; nam homo ſecundùm unam ſui partem, videlicet ſecundùm materiam, non eſt animal. Virtualiter diſtinguuntur, quæ habent aliquod Prædicatum, quod in ſenſu reali verè poteſt negari de altero Identificatorum; Sic diſtinguitur Natura Divina à Patre; quia de Natura Divina verè affirmatur, quòd ſit Filius; in ſenſu autem reali verè negatur de Patre, quòd ſit Filius.

Quænam diſtinguantur Adæquatè; Inadæquatè?

Solvuntur Objectiones.

345. OBj. 1. Contra Principium Metaphyſicum. Poſſunt duo

duo identificari cum eodem Tertio, quin identificentur inter ſe: Ergo falſum eſt Primum Principium Metaphyſicum. P. A. Homo identificatur cum Subſtantia; Lapis etiam identificatur cum Subſtantia; & tamen Homo, & Lapis non identificantur inter ſe. Confirmatur. Pariter Homo identificatur cum animali; Leo etiam identificatur cum animali; & tamen Homo, & Leo, non identificantur inter ſe: Ergo.

R. N. A. ad P. D. A. Homo identificatur cum omni Subſtantia, N. A. Homo identificatur cum aliqua Subſtantia, & pariter Lapis cum aliqua, & quidem cum alia, quàm ea ſit, quacum identificatur homo, C. A. & N. Conſequentiam. Itaque Homo, & Lapis non identificantur cum eodem Tertio, ſed identificantur cum diverſo.

Ad Confirmationem eadem eſt Reſponſio. Animal enim poteſt dupliciter ſumi; Primò, prout à parte rei eſt determinatum aliquod Individuum; & tunc N. quòd Homo, & Leo, identificentur cum eodem Animali. Secundò poteſt Animal ſumi pro toto cumulo Animalium; & tunc D. A. Homo, & Leo, identificantur cum animali adæquatè, & ſecundùm eandem partem Animalis, N. Inadæquatè, & duntaxat ſecundùm diverſas partes Animalis, C. A. & N. C. Homo identificatur cum Animali Rationali; Leo cum Animali Irrationali.

346. Obj. 2. Saltem in Divinis non procedit illud Principium: Ergo adhuc manet, illud eſſe falſum. P. A. Si in Divinis procederet, tunc verus eſſet iſte Syllogismus: *Eſſentia Divina eſt Pater; Eſſentia Divina eſt Filius: Ergo Pater eſt Filius.* Atqui hoc non poteſt dici; cùm Concluſio ſit contra Fidem. P. Maj. Pater, & Filius, identificantur cum uno Tertio; nimirum cum natura Divina: Ergo juxta illud Principium deberent etiam identificari inter ſe; conſequenter verus eſſet Syllogismus.

R. N. A. Ad Probationem N. Maj. ad hujus P. D. A. Pater, & Filius, identificantur cum uno Tertio, ita tamen, ut Virtualiter ab eo diſtinguantur, C. ita ut nec Virtualiter ab eo diſtinguantur, N. Si autem Virtualiter diſtinguantur inter ſe, jam in eis adhiberi nequit allatum Principium, ut ſupra dictum eſt.

347. Obj. 3. Contra Secundum Principium Metaphyſicum. Poſſunt duo eſſe diſtincta in eodem Tertio, quin diſtinguantur inter ſe: Ergo falſum eſt Principium Metaphyſicum Affirmativum. P. A. Rationale diſtinguitur à Lapide, & Riſibile etiam diſtinguitur à Lapide; & tamen, Rationale, & Riſibile, non diſtinguuntur inter ſe.

R. N. A. Ad Probationem C. A. N. C. Aliud enim eſt diſtingui in uno Tertio, & aliud diſtingui ab uno Tertio; ut ſupra

dictum

dictum eſt. Quæ diſtinguuntur in uno Tertio, neceſſariò etiam diſtinguuntur inter ſe: non autem, quæ diſtinguuntur ab uno Tertio.

ARTICULUS IV.

Regulæ Generales Syllogiſmorum Simplicium.

348. EX Principiis Paragrapho ſuperiore allatis deducuntur, & probantur ſequentes Regulæ, quæ Generales vocantur; quia obſervari debent in quacunque Figura, & in quovis Modo. Cæterùm dirigunt Syllogismum Simplicem, ſive Abſolutum Communem, nimirum cujus Medius Terminus eſt Terminus Comunis. *Regulæ Syllogiſmorum Simplicium.*

349. Regula 1. Syllogismus debet habere præcisè Tres Terminos, nec plures, nec pauciores; itaque nec Termini æquivocè ſumi poſſunt; nec in varia Suppoſitione, nec quidquam admitti valet ejusmodi. Probatur. Ideo in omni Syllogismo duo Extrema inter ſe identificata, vel diſtincta, poſſunt inferri in Concluſione, quia in præmiſſis cum uno Tertio identificantur, vel in eo diſtinguuntur: Atqui ſi plures ſint, vel pauciores, quàm Tres Termini; duo Extrema non identificantur cum eodem Tertio, nec in eo diſtin- *Syllogiſmus habeat præcisè Tres Terminos.*

ſtinguuntur. P. Min. Non, ſi ſint tantùm duo Termini, ùt patet; quia tunc non adeſt illud Tertium, quocum identificentur, aut in quo diſtinguantur. Sed neque ſi ſint quatuor; quia tunc quodcunque ex Extremis poterit identificari cum alterutro ex aliis, aut ab eo diſtingui, quin duo conveniant in Tertio, aut ab eo diſtinguantur. Contra hanc Regulam peccat iſte Syllogiſmus: *Omnis canis eſt latrabilis: Aliquod Sidus eſt canis: Ergo aliquod Sidus eſt latrabile.* Ex hac autem itidem Regula deducitur; in Syllogiſmo debere eſſe præcisè etiam Tres Propoſitiones; totidem enim, nec plures, nec pauciores, ex commixtione Trium Terminorum conficiuntur.

Medius Terminus ſemel perfectè diſtribuatur in Præmiſſis.

350. Reg. 2. Medius Terminus debet in Præmiſſis ſemel perfectè diſtribui. Ratio eſt; quia, ſi Medius Terminus non diſtribuitur perfectè in Præmiſſis; Extrema non poterunt in Præmiſſis cum Medio Termino adæquatè identificari, aut adæquatè ab eodem diſtingui: Ergo neque in Concluſione poterunt inter ſe adæquatè identificari, aut adæquatè diſtingui. Sic non concludit hic Syllogiſmus: *Aliquod animal eſt irrationale: Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt irrationalis.* Tunc autem perfectè diſtribuitur Medius Terminus, cùm de utroque Extremo perfectè, & in eodem Senſu verificatur; ùt fit in quovis Syllogiſmo materialiter, ac formaliter bono.

351.

Digitized by Google

Nihil diſtribuatur in Concluſione, quod non fuit diſtributum in Præmiſſis.

351. Reg. 3. Nihil debet diſtribui in Concluſione, quod non fuit diſtributum in Præmiſſis; ſeu: Non licet procedere à ſenſu Non diſtributivo ad Diſtributivum. Probatur. Eo duntaxat modò poſſunt Extrema connecti inter ſe in Concluſione, quo fuerunt connexa cum Medio Termino in Præmiſſis: Atqui, ſi unum ex Extremis non fuit diſtributum in Præmiſſis, & diſtribuatur in Concluſione; tunc magìs connecteretur in Concluſione cum altero Extremo, quàm fuerit connexum in Præmiſſis cum Medio Termino: Ergo, ſi aliquid non eſt diſtributum in Præmiſſis, neque in Concluſione eſt diſtribuendum. Unde non eſt bona hæc Argumentatio: *Omne animal rationale ſentit: Omne animal rationale eſt Subſtantia: Ergo omnis Subſtantia ſentit.* Nam Terminus: *Subſtantia;* non diſtribuitur in Minore, & tamen diſtribuitur in Concluſione.

Quid ſequatur ex puris Particularibus.

352. Reg. 4. Ex puris Particularibus, ſi Medius Terminus ſit Communis, nihil ſequitur vì Formæ. Probatur. Quia in Propoſitione Particulari Medius Terminus non diſtribuitur: Ergo, ſi utraque Præmiſſa eſt Particularis, Medius Terminus nunquam diſtribuitur; nec proin poteſt in Concluſione inferri duorum inter ſe Identitas, aut Diſtinctio; ùt apparet in hoc Syllogiſmo: *Aliquis homo eſt animal: Aliquis equus eſt animal: Ergo aliquis equus eſt homo.*

Aut ex pu-

353. Reg. 5. Ex puris Negativis ni-

S nil

ris Negativis. hil ſequitur vi Formæ. Probatur. Quia ſic Extrema non poſſunt inter ſe affirmari, aut negari. Non affirmari; quia in Præmiſſis non fuerunt identificata cum eodem Tertio. Non negari; quia in Præmiſſis non fuerunt diſtincta in Tertio, ſed duntaxat à Tertio. Contra hanc Regulam peccat iſte Syllogiſmus: *Nullus Elephas poteſt volare: Nulla muſca eſt Elephas: Ergo nulla muſca poteſt volare.*

Medius Terminus non ingrediatur Concluſionem.

354. Reg. 6. Medius Terminus non poteſt ingredi Concluſionem. Probatur. Quia aliàs in Concluſione nihil inferretur diverſum ab iis, quæ in Præmiſſis dicta ſunt; ſed repeteretur alterutra Præmiſſarum; ùt patet in hac Argumentatione: *Omnis arbor hyeme perdit folia: Sed Pomus eſt arbor: Ergo arbor hyeme perdit folia.* Concluſio hæc inferri deberet: *Ergo Pomus hyeme perdit folia.*

Quam partem ſequatur Concluſio.

355. Reg. 7. Concluſio ſequitur debiliorem partem. Præmiſſa autem Negativa debilior eſt, quàm Affirmativa; Particularis eſt debilior, quàm Univerſalis. Unde, ſi una Præmiſſa eſt Negativa, etiam Concluſio debet eſſe Negativa; ſi una Præmiſſa ſit Particularis, etiam Concluſio Particularis ſit, oportet. Probatur de Concluſione particulari. Identitas Extremorum cum Tertio eſt ratio Identitatis Extremorum inter ſe: Ergo ſi unum Extremum cum Tertio identificatur tantùm Particulariter, non poterit cum altero Extremo identificari Univerſaliter, ſed debet

Digitized by Google

debet tantùm Particulariter de illo affirmari; aliàs plus inferretur in Concluſione, quàm fuerit conceſſum in Præmiſſis. Unde malè concludit hic Syllogiſmus: *Omnis homo eſt rationalis: Aliquod animal eſt homo: Ergo omne animal eſt rationale.* Inferri itaque debet: *Ergo aliquod animal eſt rationale.* Probatur etiam de Propoſitione Negativa; Nam quæ diſtinguuntur in uno Tertio, diſtinguuntur etiam inter ſe: Ergo ſi in Præmiſſis per Propoſitionem Negativam unum Extremum fuit diſtinctum à Medio Termino, licèt alterum Extremum cum eo fuerit identificatum; in Concluſione tamen diſtinguuntur Extrema inter ſe; Unde Concluſio neceſſariò erit Negativa. Hanc ob rationem malus eſt iſte Syllogiſmus: *Nulla planta eſt animal: Sed Quercus eſt planta: Ergo Quercus eſt animal*; inferri namque Negativè debet: *Ergo Quercus non eſt animal.* Adductas hucusque Syllogiſmorum Regulas Barbajus Introduct. in Log. Ariſt. Parte Ult. ſect. 2. Artic. poſter. §. 2. his Verſibûs porrigit.

Regulæ Syllogiſmorum Simplicium in Compendio.

1. Tum re, tum ſenſu, triplex modò Terminus eſto.
2. Aut ſemel, aut iterum, Medium generaliter eſto.
3. Quantùm Præmiſſæ, referat Concluſio ſolùm.
4. Nil ſequitur puris ex Particularibus unquam.

5. Utraque ſi Præmiſſa neget, **nil inde ſequetur.**
6. Includat Medium oportet **Concluſio** nunquam.
7. Pejorem ſemper ſequitur **Concluſio** Partem.

Applicatio harum Regularum Syllogiſmo Expoſitorio.

356. Dictum autem ſuperiùs eſt, per has Regulas dirigi Syllogiſmum Communem, ſeu habentem Medium Terminum Communem, quanquam tamen applicari etiam eæ poſſint Syllogiſmo Expoſitorio, ſeu habenti Medium Terminum Singularem, exceptâ videlicet ſecundâ, & quartâ Regulâ. Nam ſecunda quidem in hoc Syllogiſmo non procedit; quia in eo Medius Terminus, cùm ſit Singularis, diſtribui non poteſt. Nihilominùs tamen hic Syllogiſmus independenter ab illa Regula bene concludit; quia nititur principiis Metaphyſicis; ùt patet in hoc exemplo, & in quovis alio ejuſdem Formæ: *Petrus eſt Homo: Petrus eſt animal: Ergo aliquod Animal eſt Homo.* Quarta autem Regula in Syllogiſmo Expoſitorio non procedit; quia in hoc ex meritis Particularibus aliquid ſequitur; cùm in eo, licèt Præmiſſæ ſint merè particulares, tamen duo Extrema in eodem Tertio vel identificentur, vel diſtinguantur, ùt rurſum patet in hoc Syllogiſmo: *Aliquis Homo eſt Petrus: Aliquod currens eſt Petrus: Ergo aliquod currens eſt Homo.*

357.

Solvuntur Objectiones.

357. OBj. 1. contra 1. Reg. Hi Syllogiſmi ſunt boni: *Omnis Homo habet duos oculos: ſed Petrus eſt aliquis Homo: Ergo Petrus habet duos oculos.* 2. *DEUS amat omnem virtutem: ſed Humilitas eſt virtus: Ergo DEUS amat Humilitatem.* 3. *Chriſtus vult omnes Homines ſalvos fieri: Sed Petrus eſt Homo: Ergo Chriſtus vult Petrum ſalvum fieri.* 4. *Omnis Homo eſt Animal rationale: Sed Paulus eſt Homo: Ergo Paulus eſt animal.* 5. *Omnis caſeus eſt Subſtantia: ſed Mus rodit caſeum: Ergo Mus rodit Subſtantiam:* Atqui hi Syllogiſmi habent quatuor Terminos: Ergo Syllogiſmi boni poſſunt habere quatuor Terminos.

R. Tranſ. Maj. N. Min. vel D. Dicti Syllogiſmi habent quatuor Terminos, qui tamen facilè reduci poſſunt ad tres. Tranſ. Min. Qui non poſſunt ita reduci, N. Min. & Conſ. Quatuor enim Termini horum Syllogiſmorum æquivalent tribus; nam in primo, *Omnis Homo*, & *aliquis Homo*, non ſunt diverſi Termini; cùm aliquis Homo contineatur in omni Homine, & habeant idem objectum repræſentationis. Secundus æquivalet huic: *Omnis Virtus amatur à DEO: Humilitas eſt Virtus: Ergo Humilitas amatur à DEO.* Tertius æquivalet huic: *Omnis Homo eſt, quem Chriſtus vult ſalvum fieri: ſed Petrus eſt Homo: Ergo Petrus eſt, quem Chriſtus vult*

ſalvum fieri. In quarto, *Animal rationale*, & *Animal*, non faciunt duos Terminos, quia animal continetur ſub Animali rationali. Si autem, ùt aliqui volunt, ſub *Animal*, non ſubintelligeretur in Concluſione *Rationale*, tunc iſte Syllogiſmus erit tantùm materialiter bonus, quia ſervatâ eâdem formâ malè concluderet, qui diceret; *Omne, quod refert duntaxat ſpeciem animalis, eſt animal fictum: ſed Urſa major refert duntaxat ſpeciem animalis: Ergo Urſa major eſt Animal*. Ratio ulterior eſſet, quia non licet univerſim argumentari à Termino reſtricto ad non reſtrictum, nec valet Argumentatio à Termino diminuente ad non diminutum; cùm plus inferretur in Conſequente, quàm poſitum fuiſſet in Antecedente; hinc malè concludit iſte Syllogiſmus: *Omnis Æthiops eſt albus circa dentes: Caſparus eſt Æthiops; Ergo Caſparus eſt albus*. Cui etiam ſimilis eſſet noſter Syllogiſmus, ſi in Concluſione ſub, *Animal*, non ſubintelligeretur, *Rationale*. Quintus ſic reducitur: *Omne rodens caſeum rodit ſubſtantiam: Sed Mus rodit caſeum: Ergo Mus rodit Subſtantiam*.

358. Dices. Hic Syllogiſmus habet quatuor Terminos: *Omnis Logicus ſcribit; Petrus eſt Logicus: Ergo Petrus ſcribit velociſſimè*: Ergo etiam hic Syllogiſmus habet quatuor Terminos: *Omnis Logicus ſcribit velociſſimè, ſed Plato eſt Logicus: Ergo Plato ſcribit*. Atqui hic poſterior eſt bonus: Ergo Syllogiſmus bonus poteſt habere quatuor Terminos. R. C.

Digitized by Google

R. C. A. N. Conſ. Nam in, *ſcribit*, non hoc ipſo includitur, *velociſſimè*, & conſequenter hìc plus infertur in Concluſione, quàm ſequi poſſit ex Præmiſſis; qui enim ſcribit, non hoc ipſo ſcribit velociſſimè, bene tamen viciſſim, qui ſcribit velociſſimè, hoc ipſo ſcribit.

359. Obj. 2. contra 2. Reg. Hic Syllogiſmus: *Petrus eſt Homo: Petrus eſt Sapiens: Ergo aliquis Homo eſt Sapiens*, eſt formaliter bonus, & tamen Medius Terminus non diſtribuitur. Ergò ad Syllogiſmum formaliter bonum non requiritur, ut in Præmiſſis diſtribuatur.

R. C. A. N. Conſ. Regulæ illæ, ùt jam monuimus, univerſim datæ ſunt pro iis Syllogiſmis, qui habent medium Terminum communem, & ſi dirigant Syllogiſmum expoſitorium, id duntaxat fit reductivè. Speciatim autem de Regula ſecunda dictum eſt, eam non poſſe applicari Syllogiſmo Expoſitorio; quia cùm hic non habeat Medium Terminum Communem, ſed Singularem, non poteſt Medius Terminus in eo diſtribui.

360. Obj. 3. Hi Syllogiſmi: *Omnes Evangeliſtæ ſunt quatuor, ſed Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes ſunt omnes Evangeliſtæ: Ergo Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes ſunt quatuor.* 2. *Aliquod Elementum eſt calidum in ſummo: Omnis Ignis eſt Elementum: Ergo aliquis Ignis eſt calidus in ſummo.* 3. *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum: ſed aliquis oculus*

lus eſt dexter, vel ſiniſter: Ergo oculus dexter, vel ſiniſter eſt neceſſarius ad videndum. Hi, inquam, Syllogiſmi non diſtribuunt Medium Terminum in Præmiſſis, & tamen ſunt boni: Ergo Regula hæc non ſubſiſtit.

R. Hos Syllogiſmos vel non eſſe Formaliter bonos, vel diſtribuere Medium ſaltem æquivalenter. Ad primum dico, quòd Medium in Præmiſſis, æquivalenter ſaltem, & implicitè diſtribuatur; ſic enim exponi poteſt: *Omne identificatum adæquatè cum omnibus Evangeliſtis, eſt identificatum cum quatuor: Sed Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes ſunt omne identificatum adæquatè cum omnibus Evangeliſtis: Ergo Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes ſunt identificati cum quatuor.* Ad ſecundum dico, eſſe tantùm Materialiter bonum, non Formaliter; quia alii formari poſſunt ſimiles, qui ſint falſi, e. g. *Aliquod Elementum eſt frigidum in ſummo, ſed omnis Ignis eſt Elementum: Ergo aliquis Ignis eſt frigidus in ſummo.* Ad tertium dico, Medium diſtribui ſaltem æquivalenter; quia in Minore poteſt poni locò *Aliquis* particula *Omnis*, ſic: *Omnis oculus eſt dexter, vel ſiniſter.*

361. Obj. 4. contra 3. Reg. Hi Syllogiſmi ſunt boni: *Aliquis Homo eſt rationalis: Nullus Equus eſt Homo: Ergo aliquis Equus non eſt rationalis.* 2. *Omnis Equus eſt hinnibilis: Nullus Lapis eſt Equus: Ergo nullus Lapis eſt hinnibilis:*

Sed

Sed in his Prædicata, *Rationale*, & *Hinnibile*, diſtribuuntur in Concluſione, & tamen non fuerunt diſtributa in Præmiſſis: Ergo in Syllogiſmo bono poteſt aliquid diſtribui in Concluſione, quod non fuit diſtributum in Præmiſſis.

R. D. Maj. Sunt boni vî materiæ, C. vî formæ, N. Maj. & Conceſſa Min. D. Conſ. Ergo in Syllogiſmo Materialiter bono poteſt aliquid diſtribui in Concluſione, quod non fuit diſtributum in Præmiſſis, C. Conſ. in Syllogiſmo Formaliter bono, N. Conſ. Servatâ enim eâdem formâ poſſum dicere: *Aliquis Homo eſt ſenſitivus: Nullus Equus eſt Homo: Ergo aliquis Equus non eſt ſenſitivus.* Item: *Omnis Equus eſt Subſtantia: Nullus Lapis eſt Equus: Ergo nullus Lapis eſt Subſtantia*, qui Syllogiſmi utique peſſimè concludunt; & tamen ſervant eandem formam, quam habent Syllogiſmi in Objectione allati: Ergo Syllogiſmi in Objectione allati ſunt tantùm Materialiter boni.

362. Obj. 5. contra 4. Reg. Hi Syllogiſmi ſunt boni: *Aliquod rationale eſt Homo: Aliquod Animal eſt Homo: Ergo aliquod Animal eſt rationale.* 2. *Aliquis Homo eſt ambulans: Sed ille Homo eſt Petrus: Ergo Petrus eſt ambulans*; & tamen conſtant puris Particularibûs. Item bonus eſt iſte: *Leo eſt brutum: Aliquis Homo non eſt brutum: Ergo aliquis Homo non eſt Leo:* Atqui in iſto rurſum ſunt Propoſitiones merè Particulares: Ergo eſt falſum,

ſum, ex puris Particularibus nihil ſequi.

R. ad 1. Diſtinguendo. Ille Syllogiſmus eſt bonus Materialiter, ſive in eo infertur Conſequens aliunde verum, C. eſt bonus Formaliter, N. poteſt enim in ſimili prorſus forma ex veris Præmiſſis deduci Concluſio falſa, ùt patet ex exemplo in ipſa Regula allato. In ſecundo Medius Terminus eſt æquivalenter ſingularis, & conſequenter Syllogiſmus eſt expoſitorius, de quo modò non loquimur. Ad tertium dico, Syllogiſmum illum eſſe bonum etiam Formaliter: illius enim Major eſt Univerſalis, cùm ſit in Materia Neceſſaria, in qua Propoſitio Indefinita, qualis eſt hæc, æquivalet Univerſali, ùt dictum eſt ſuperiùs in Diviſionibus Propoſitionum ratione Quantitatis: unde Syllogiſmus concludit in Baroco.

363. Obj. 6. contra 5. Reg. Syllogiſmus iſte ex Ariſtotele L. 2. de Cœlis c. 4. habet utramque Præmiſſam Negativam: *Stellæ, quæ non ſcintillant, ſunt propè nos: Sed Planetæ non ſcintillant: Ergo Planetæ ſunt propè nos.* Sed iſte eſt bonus: Ergo ex Præmiſſa utraque Negativa poteſt fieri Syllogiſmus bonus; ac proin verum non eſt, ex puris Negativis nihil ſequi vì Formæ.

R. N. Maj. Imò utraque Præmiſſa eſt Affirmativa; nam in Minore, quæ videtur Negativa, particula *Non* juxta Interpretes Ariſtotelis accipitur Infinitanter, &

Syllo-

Syllogiſmus habet hunc ſenſum: *Stellæ non ſcintillantes ſunt propè nos: Sed Planetæ ſunt Stellæ non ſcintillantes: Ergo Planetæ ſunt propè nos.* Alii verò reſpondent, Particulam *Non* in Minore ſumi quidem Neganter, ſed ita, ut ſolùm afficiat copulam Propoſitionis ſecundariam, ut ſenſus ſit totius Syllogiſmi: *Stellæ, quæ non ſcintillant, ſunt propè nos: Sed Planetæ ſunt Stellæ, quæ non ſcintillant: Ergo Planetæ ſunt propè nos.* Sive jam hoc poſterius dicatur, ſive illud prius, tum Major, tum Minor eſt Affirmativa, ac proin tota Objectio ruit.

364. Obj. 7. Hic Syllogiſmus eſt Formaliter bonus: *Omne, quod non eſt Spiritus, non eſt Angelus: Sed Lapis non eſt Spiritus: Ergo Lapis non eſt Angelus:* Atqui utraque Præmiſſa eſt Negativa: Ergo ex puris Negativis poteſt aliquid ſequi vi Formæ.

R. C. Maj. D. Min. Utraque Præmiſſa eſt Negativa apparenter, C. verè, & ſi ritè intelligatur, N. Min. nam in Minore per Particulam *Non* infinitari debet Spiritus, & dici: *Lapis eſt non Spiritus*, ſeu eſt *aliquid diſtinctum à Spiritu.*

365. Dices. Saltem in iſto Syllogiſmo utraque Præmiſſa eſt Negativa: *Nullum non ſenſitivum eſt Animal: Lapis non eſt ſenſitivus: Ergo Lapis non eſt Animal:* Ergo.

R. N. illatum; cùm enim duæ negationes faciant unam affirmationem, Pro-

poſitio

poſitio Major re vera eſt hæc: *Omne ſenſitivum eſt Animal*, conſequenter eſt Affirmativa; nam *Nullus non* valet *Omnis*, ùt patet ex Regulis Æquipollentiæ.

366. Obj. 8. Ritè concludunt iſti Syllogiſmi: *Omnis Homo non pius eſt damnandus: Sed Andreas non eſt Homo pius: Ergo Andreas eſt damnandus*. 2. *Quod non movetur, non ambulat: Petrus non movetur: Ergo Petrus non ambulat*: Sed hi habent ambas Præmiſſas Negativas; Ergo adhuc Syllogiſmi, qui habent ambas Præmiſſas Negativas, ritè concludunt.

R. ad primum, negando, quòd ſit Formaliter bonus; quia ſervatâ hac formâ plurimi fieri poſſunt falſi. E. G. *Omnis Homo non pius eſt damnandus: ſed tua Felis non eſt homo pius: Ergo tua Felis eſt damnanda*. Quamquam in hoc Syllogiſmo Major eſt æquivalenter Affirmativa, æquivalet enim huic: *Omnis Homo impius eſt damnandus*, vel huic: *Omnis Homo, qui non eſt pius, eſt damnandus*, quæ pariter eſt Affirmativa, cùm particula, *Non*, duntaxat Copulam ſecundariam afficiat. Ad ſecundum dico: quòd illius Major æquivaleat huic Propoſitioni affirmativæ: *Omne ambulans movetur*, partim quia duæ negationes faciant unam Affirmationem; partim quia Prædicatum per illas negationes non removetur à Subjecto, imò potiùs Prædicatum, *ambulat*, con-

Digitized by Google

conjungitur cum eo, quod movetur.

367. Dices. Ex vero non poteſt ſequi falſum; ùt explicatur in Regulis Bonæ Conſequentiæ: Ergo ſi Præmiſſæ Negativæ Syllogiſmorum ſunt veræ, etiam Concluſio ex illis deducta erit vera, ac proin ipſi Syllogiſmi ſunt Formaliter boni.

R. D. A. Ex vero non poteſt ſequi falſum per legitimam deductionem, & conſequentiam, C. A. ex vero non poteſt ſequi falſum per malam, & illegitimam deductionem, N. A. hoc ipſum eſt, quod dicimus, illationem ex puris Negativis eſſe illegitimam; quia in ea ex vero falſum inferretur.

368. Obj. 9. Contra 6. Reg. Benè concludit iſte Syllogiſmus: *Video Coriſcum: Coriſcus eſt veniens: Ergo video Coriſcum venientem*: Sed in iſto Medius Terminus, videlicet *Coriſcus*, ingreditur Concluſionem: Ergo Medius Terminus poteſt ingredi Concluſionem.

R. C. Maj. D. Min. Sed in illò Syllogiſmo Medius Terminus ingreditur Concluſionem, quà Medius Terminus, N. ingreditur Concluſionem præcisè, ut eam reddat clariorem, & ut explicetur, me non videre alium venientem, niſi Coriſcum, C. Si ponatur Concluſio ſic: Ergo *video venientem*, apparet, Ariſtotelis Syllogiſmum non eſſe bonum, ſed committere fallaciam Accidentis, de qua infra agemus, cùm ſermo erit de Syllogiſmo Sophiſtico, eò-

quòd

Digitized by Google

quòd Minor appellet Subſtantiam Coriſci, ſeu ipſum Coriſcum; Concluſio autem appellet Accidens Coriſci, ſeu ejus adventum. Hæc ſententia quidem Ariſtotelis eſt vera, ſi Syllogiſmus accipiatur in hoc ſenſu; ſed ſi Concluſio habet hunc ſenſum: Ergo *video venientem* ſecundùm id, quod veniens dicit in Recto, ſeu rurſus ipſum Coriſcum, Syllogiſmus apparet bonus, nec tunc committit fallaciam Accidentis.

369. Obj. 10. Hi Syllogiſmi ſunt boni: *Omnis Peccator confiteri debet peccata, ob quæ dicitur Peccator: ſed Superbus eſt Peccator: Ergo Superbus confiteri debet peccata, ob quæ dicitur Peccator.* 2. *Omnis Homo verè dicitur Homo: ſed Petrus eſt Homo: Ergo Petrus verè dicitur Homo.* 3. *Omnis Homo eſt Animal: Sed Homo eſt Homo: Ergo Homo eſt Animal.* 4. *Omnis Angelus eſt Spiritus: ſed Gabriel eſt Angelus: Ergo Spiritus eſt Angelus.* Atqui in his Syllogiſmis Medium, (videlicet: *Peccator*, *Homo*, *Angelus*) ingreditur Concluſionem: Ergo Medius Terminus poteſt ingredi Concluſionem.

R. Tranſ. Maj. quia ultimus Syllogiſmus eſt tantùm Materialiter bonus, D. Min. Medium quà Medium ingreditur Concluſionem, N. Min. Medium non quà Medium, ſed quatenùs eſt pars Extremi, aut Extremum, eatenùs ingreditur Concluſionem, C. Min. & ſub eadem diſtinctione, C. & N. Conſ. Hinc ad primum

dico,

dico, quòd Terminus *Peccator*, bis ponatur in Majore, adeóque habet duplex officium, primò eſt Medius Terminus, dein eſt pars Majoris Extremi, & ſic ùt Pars ingreditur Concluſionem, & non ùt Medius Terminus. Idem cum proportione dic ad ſecundum Syllogiſmum. In tertio Syllogiſmo, *Homo*, quod eſt Subjectum Minoris, pariter non ingreditur Concluſionem ùt Medium, ſed ùt Extremum. Concluſio quarti Syllogiſmi tenet quidem, ſpectando Regulas Converſionis per Accidens, quæ ibi obſervatur; nam Convertens eſt Concluſio, Converſa eſt Major: Sed non tenet vî Formæ Syllogiſticæ, quæ non obſervatur, cùm Concluſio non inferat identitatem duorum inter ſe, propter identitatem duorum in Tertio.

370. Obj. 11. Contra 7. Reg. Hic Syllogiſmus eſt Bonus: ***Omnis, qui non credit in DEUM, damnatur: Sed Athei non credunt in DEUM; Ergo Athei damnantur:*** Atqui hìc Concluſio non ſequitur partem debiliorem; quia Minor eſt negativa, Concluſio autem affirmativa: Ergo Concluſio non debet ſequi partem debiliorem.

R. C. Maj. N. Min. quia utraque Præmiſſa eſt affirmativa, cùm Particula, *Non*, tam in Majore, quàm in Minore ſolùm Copulam ſecundariam afficiat, & ſenſus Syllogiſmi ſit iſte: ***Omnis, qui non credit in DEUM, damnatur: Sed Athei ſunt, qui non***

Digitized by Google

non credunt in DEUM: *Ergo Athei damnantur.*

371. Dices. Iſte Syllogiſmus eſt Formaliter bonus: *Aliquod Animal eſt hic Homo*: *Nullum Animal eſt Planta*: *Ergo nulla Planta eſt hic Homo*: Sed Concluſio non ſequitur partem debiliorem; quia Major eſt Particularis, & Concluſio Univerſalis: Ergo hæc Regula nondum ſubſiſtit.

R. In hoc Syllogiſmo eſſe prædicationem inordinatam; quia Terminus Singularis prædicatur de Termino Particulari. Ordinatè ſic deberet fieri: *Hic Homo eſt Animal*: *Nullum Animal eſt Planta*: *Ergo hic Homo non eſt Planta.* Adde, quòd hæc Regula ſolùm loquatur de Syllogiſmis, qui conſtant Præmiſſis Univerſalibûs, vel Particularibus.

372. Obj. Ultimò. Concluſio poteſt eſſe vera, quin Præmiſſæ ſint tales: Ergo Concluſio non debet ſequi partem debiliorem. Ant. patet in hoc Syllogiſmo: *Omnis Homo eſt Equus*: *Omnis Equus eſt animal*: *Ergo omnis Homo eſt Animal.*

R. C. A. D. Conſ. Ergo non debet ſequi partem debiliorem, quòad quantitatem, & qualitatem, N. quòad alia. C. Conſequentiam.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Regulæ Speciales cujuslibet Figuræ.

373. REgulæ iſtæ Speciales jam continentur in Univerſalibus; majoris tamen claritatis causâ afferri ſolent. Itaque pro prima Figura duplex eſt Regula. Prima eſt: Ex Majore Particulari, in Syllogiſmis Directè concludentibus, nihil ſequitur. Ratio eſt; quia Medium non diſtribuitur; ùt: *Aliquod animal eſt Equus: Omnis Leo eſt animal: Ergo omnis Leo eſt Equus.* Secunda Regula eſt: Ex Minori Negativa nihil ſequitur, in Modis Directis. Ratio eſt; quia proceditur à Non diſtributo ad Diſtributum; ùt: *Omnis homo eſt vivens: Nulla arbor eſt homo: Ergo nulla arbor eſt vivens.* Hìc quippe: *Vivens*, diſtribuitur in Concluſione, cùm tamen diſtributum non fuerit in Præmiſſis. Dixi tamen: *In Modis Directis*; ſive in quatuor primis; nam in aliis, ſive in Indirectis, non habent locum hæ Regulæ. *Regulæ pro Prima Figura.*

374. Pro Secunda Figura iterum eſt duplex Regula. Prima eſt: Ex Majore Particulari nihil concluditur. Ratio pariter eſt; quia fit proceſſus à Non diſtributo ad Diſtributum. Hinc malè concludit hic Syllogiſmus: *Aliquod animal eſt homo:* *Regulæ pro Secunda Figura.*

homo: Nullus Leo eſt homo: Ergo aliquis Leo non eſt animal. Secunda Regula eſt: Ex Puris Affirmativis nihil ſequitur. Ratio eſt; quia, ſi utraque eſt Affirmativa, Medium non diſtribuitur. Exemplo ſit: *Omne brutum eſt animal: Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt brutum.*

Regula pro Tertia Figura.

375. Pro Tertia Figura itidem duplex Regula aſſignatur. Prima eſt: Ex Minore Negativa nihil ſequitur; quia rurſum tranſitur à Non diſtributo ad Diſtributum; ùt: *Omnis homo eſt animal: Nullus homo eſt brutum: Ergo aliquod brutum non eſt animal.* Secunda Regula eſt: Concluſio ſemper eſt Particularis; ne videlicet tranſeatur à Non diſtributo ad Diſtributum. Sic non bene concludit: *Omnis homo eſt rationalis: Omnis homo eſt animal: Ergo omne animal eſt rationale.* Sed Concluſio debet poni hæc: *Ergo aliquod animal eſt rationale.* Regulas has Speciales complexi ſunt ſequentibus Verſiculis; ex quibus primus Regulas Primæ Figuræ continet; Secundus Secundæ; Tertius Tertiæ.

1. Sit Minor Affirmans: Nec Major ſit
   Specialis.
2. Una Negans præeat: Nec Major ſit
   Specialis.
3. Sit Minor Affirmans: Concluſio ſit
   Specialis.

AR-

ARTICULUS VI.

Regulæ peculiares Syllogiſmorum Compoſitorum; Item Syllogiſmi Expoſitorii.

376. **E**X Syllogiſmis Compoſitis, ſive Complexis, frequentiùs occurrunt Disjunctivus, & Hypotheticus, ſeu Conditionalis. Syllogiſmus Disjunctivus eſt, qui habet Majorem Disjunctivam, ſeu continentem Particulam: *Vel*. Porro in Propoſitione Disjunctiva Particula: *Vel*; poteſt ſumi dupliciter. Primò Excluſivè, ſeu prout denotat Oppoſita; ùt: *Vel dies eſt*, *vel nox*. Vel Secundò poteſt ſumi Præciſivè, ſeu prout denotat, non quidem Oppoſita, ſed abſolutè Compoſſibilia; ùt: *Vel Petrus ſtudet*, *vel Paulus ſtudet*; ùt jam expoſitum eſt in Regulis de veritate Propoſitionum.

Particula: Vel, ſumitur Excluſivè; Aut Præciſivè.

377. Pro Syllogiſmo Disjunctivo habente particulam: *Vel*; Excluſivè ſumptam, ſtatuuntur duæ ſequentes Regulæ. Prima eſt; Si Major Disjunctiva eſt vera, & in Minore rectè affirmetur falſitas unius Membri; in Concluſione rectè affirmatur veritas alterius Membri. Secunda Regula eſt: Si Major Disjunctiva eſt vera, & in Minore rectè affirmetur veritas unius Membri; in Concluſione rectè affirmatur

Regula Syllogiſmi Disjunctivi cum Particulâ: Vel, Excluſivâ.

falſitas alterius Membri. Probatur utraque Regula; Quia in tali Disjunctiva non poteſt utrumque Membrum ſimul eſſe falſum, nec ſimul eſſe verum: Ergo ex falſitate unius rectè infertur veritas alterius; & viciſſim, ex veritate unius falſitas alterius. Hinc bene utique concludebat S. Bernardus, ſic argumentando: *Vel Mundus errat, vel Chriſtus fallitur: Sed Chriſtus non fallitur: Ergo Mundus errat.*

Ejuſdem Regulæ cum Particula: Vel; Præciſiva.

378. Pro Syllogiſmo Disjunctivo habente Particulam: *Vel*; Præciſivè ſumptam, ſunt hæ duæ Regulæ: 1. eſt: Si Major Disjunctiva ſit vera, & Minor affirmat falſitatem unius Membri; in Concluſione rectè infertur veritas alterius. 2. Regula eſt: Si Major Disjunctiva eſt vera, & Minor affirmat veritatem unius Membri; in Concluſione non rectè infertur falſitas alterius Membri. P. utraque hæc Regula; Quia in tali Propoſitione Disjunctiva, non poteſt utrumque Membrum ſimul eſſe falſum; poteſt tamen ſimul utrumque eſſe verum: Ergo ex falſitate unius rectè infertur veritas alterius; non verò ex veritate unius falſitas alterius. Unde bona eſt hæc illatio: *Vel Petrus ſtudet, vel Paulus ſtudet: Sed Petrus non ſtudet: Ergo Paulus ſtudet.* Mala verò hæc: *Vel Petrus ſtudet, vel Paulus ſtudet: Sed Petrus ſtudet: Ergo Paulus ſtudet.*

Regula Syllogiſmi Hypothetici.

379. Syllogiſmus Hypotheticus, ſeu Conditionalis, ut jam eſt dictum, eſt ille, qui conſtat unâ, vel pluribus Propoſitionibus

bus Hypotheticis. Circa hunc Regularum locô Not. Quòd ſi habeat omnes Propoſitiones Conditionatas; tunc unaquæque Propoſitio contineat in ſe virtualiter integrum Syllogiſmum Categoricum, in quem reſolvi poteſt, v. g. In hoc Syllogiſmo: *Si homo eſt animal, eſt Senſitivus: Si homo eſt Senſitivus, eſt Subſtantia: Ergo, ſi homo eſt animal, eſt Subſtantia.* Major continet hunc Syllogiſmum Categoricum: *Omne animal eſt ſenſitivum: Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.* Et ſic de reliquis Propoſitionibus. Ratio eſt; quia unaquæque talis Propoſitio in ſe continet æquivalenter tres Terminos, & duas Copulas: Ergo inde poterit Syllogiſmus confici, in quo nectantur in Concluſione inter ſe, quæ priùs per duas Copulas nectebantur in Præmiſſis cum eodem Tertio. Quòd ſi Syllogiſmus Hypotheticus habeat unam tantùm Propoſitionem Hypotheticam; tum ea reſolvi poterit Ratione modò indicata; tum facilè etiam reducetur immediatè ad Syllogiſmum Categoricum. v. g. iſte Syllogiſmus: *Si Petrus libenter orat, eſt pius: Sed Petrus libenter orat: Ergo Petrus eſt pius;* obviô negotiô reducitur ad hunc: *Omnis libenter orans eſt pius: Sed Petrus eſt libenter orans: Ergo Petrus eſt pius.* Itaque Syllogiſmus Conditionalis; cùm reſolvi debeat in Categoricum, nititur Principiis Univerſalibûs pro Syllogiſmo Categorico ſupra adductis.

Digitized by Google

Regula Syllogiſmi Expoſitorii.

380. Porro Syllogiſmus Expoſitorius, ut ſuperiùs itidem notatum, eſt ille, qui conſtat Medió Singulari. Nititur, ſi ſit Affirmativus, maximè hôc Principió: Quæcunque ſunt eadem uni Tertio, ſunt eadem inter ſe: Vel, ſi ſit Negativus, iſto: Quæcunque diſtinguuntur in uno Tertio, diſtinguuntur inter ſe. Equidem in omni Figura poteſt Syllogiſmus ille conſtrui; ſed potiſſimum in Tertia; quia Singularia plerumque ſubjiciuntur; cùm ergo Medium in eo ſit Singulare, faciliùs evenit, ut bis ſubjiciatur, ac proinde Syllogiſmus prodeat in Tertia Figura. Exemplo ſit iſte: *Petrus eſt juſtus*: *Petrus eſt homo*: Ergo *aliquis homo eſt juſtus*. Cæterùm ſervari in eo accuratè debet Singularitas Medii, ut iſtud nec intelligatur de diverſis; nec identificetur cum pluribus. Hinc falſus eſt iſte Syllogiſmus: *Pater eſt DEUS*: *Filius eſt DEUS*: Ergò *Filius eſt Pater*. Quia Medium Singulare, quod eſt: *DEUS*: hic identificatur cùm diverſis; videlicet cum Patre, & Filio.

ARTICULUS VII.

Regulæ Bonæ Conſequentiæ.

Quædam prænotanda.

381. PRocedunt hæ Regulæ de Syllogiſmo Formaliter bono; ſi enim Syllogiſmus peccet contra aliquam

quam ex ſuis Regulis; mirum non eſt, Concluſionem ſequi, quæ non ſit bona. Dirigunt etiam omnem bonam Argumentationem. Advertendum autem in Argumentatione, Antecedens dici Verum, vel Neceſſarium, quando utraque Præmiſſa eſt Vera, vel Neceſſaria; Nam ſi vel una, ex Præmiſſis, ſit falſa, Contingens, vel Impoſſibilis; jam totum Antecedens dicitur Falſum, Contingens, aut Impoſſibile.

382. Regula 1. Ex Vero non poteſt ſequi Falſum. Ratio eſt; quia, ſi Syllogiſmus ſit Affirmativus; duo Extrema identificantur cum Medio in Præmiſſis: Ergo etiam identificantur inter ſe in Concluſione. Si autem Syllogiſmus ſit Negativus; duo Extrema diſtinguuntur in Medio in Præmiſſis: Ergo etiam diſtinguuntur inter ſe in Concluſione. *Quid ſequatur ex Vero.*

383. Reg. 2. Ex Falſo poteſt ſequi Falſum, vel Verum; ſed Verum tantùm Materialiter, & per Accidens. Prius Membrum eſt indubitatum; cùm, ſi quod vitium ſit in Antecedente, illud tranſeat in Concluſionem; & patet in hoc Exemplo: *Omnis equus eſt Leo: Omnis Leo eſt rationalis*: Ergo *omnis equus eſt rationalis.* Ratio poſterioris Membri eſt; quia duo Extrema, quæ in Præmiſſis falsò affirmabantur de eodem Tertio, aliunde poſſunt eſſe realiter identificata inter ſe, ac ſic verè inferri in Concluſione. Quo caſu Præmiſſæ erunt falſæ, Concluſio autem erit vera; ùt patet in hoc Syllogiſmo: *Omnis homo* *Ex Falſo.*

eſt equus : Omnis equus eſt animal : Ergo *omnis homo eſt animal.*

Ex Neceſſario. 384. Reg. 3. Ex Neceſſario ſequitur tantùm Neceſſarium. Ratio eſt ; quia quæ neceſſariò identificantur in Præmiſſis , cum eodem Tertio , etiam neceſſariò identificantur inter ſe , in Concluſione. Et viciſſim , quæ neceſſariò diſtinguuntur in Tertio , in Præmiſſis ; neceſſariò etiam diſtinguuntur inter ſe , in Concluſione.

Ex Contingente. 385. Reg. 4. Ex Contingente poteſt ſequi Contingens, & Neceſſarium, non tamen Impoſſibile. Pars prior P. Quia ſæpe inferimus Contingens : atqui iſtud non poteſt inferri ex Neceſſario , ùt patet ex ſuperiore Regula : Ergo ex Contingenti. Exemplo ſit hic Syllogiſmus : *Omnis homo currit* : *Petrus eſt homo* : *Ergo Petrus currit.* Infertur hìc Concluſio Contingens ex Præmiſſis Contingentibus. Ratio alterius eſt; quia licèt duo Extrema tantùm Contingenter identificentur cum eodem Tertio , poſſunt tamen inter ſe neceſſariò eſſe connexa ; ùt fit in hoc Syllogiſmo : *Omne , quod currit , eſt animal* : *ſed Petrus currit* : *Ergo Petrus eſt animal.* Hæc tamen Concluſio Neceſſaria ex Præmiſſis Contingentibus rurſum fit per Accidens , & ejus Neceſſitas aliunde datur. Pars tertia patet ; quia ſi Impoſſibile poſſet ſequi ex Contingenti , tunc ex vero poſſet ſequi falſum : hoc implicat , ùt vidimus in prima Regula : Ergo. P. Maj. Contingens poteſt eſſe verum , impoſſibile ſemper eſt falſum :

Digitized by Google

ſum: Ergo, ſi ex Contingenti poſſet ſequi Impoſſibile, ex vero poſſet ſequi falſum.

386. Reg. 5. Ex Poſſibili ſequitur tantùm Poſſibile; non verò Impoſſibile. Ratio eſt; quia, ſi duo Extrema poſſunt identificari cum Tertio, in Præmiſſis, etiam poſſunt identificari inter ſe, in Concluſione. Ex *Poſſibili.*

387. Reg. 6. Ex Impoſſibili ſequitur Impoſſibile, Contingens, & Neceſſarium. Primum Membrum patet; quia ex Falſo ſequitur Falſum; ùt dictum eſt in Secunda Regula; Impoſſibile autem ſemper eſt Falſum. Exemplo ſit hic Syllogiſmus: *Omnis equus eſt brutum: Omnis homo eſt equus: Ergo omnis homo eſt brutum;* Ratio Secundi Membri eſt; quia poſſunt duo Extrema, quæ aliunde Contingenter ſunt inter ſe connexa, per fictionem Intellectûs, conjungi in Præmiſſis cum Tertio; quocum realiter identificari non poſſunt; quo caſu ex Impoſſibili ſequitur Contingens, ùt fit in hoc Syllogiſmo: *Omnis lapis currit: Aliquis homo eſt lapis; Ergo aliquis homo currit.* Ratio Tertii itidem eſt; quia poſſunt duo Extrema, quæ aliunde neceſſariò ſunt inter ſe connexa, per fictionem Intellectûs conjungi cum eodem Tertio, quocum realiter identificari non poſſunt; quo caſu rurſum ex Impoſſibili ſequitur Neceſſarium; ùt fit in hoc Syllogiſmo: *Omnis equus eſt animal: Homo eſt equus; Ergo homo eſt animal.* *Ex Impoſſibili.*

Digitized by Google

Solvuntur Objectiones.

388. OBj. 1. Contra 4. Regulam. Si ex Contingente poteſt ſequi Contingens, tunc ex Vero poteſt ſequi Falſum: hoc dici non poteſt, cùm priùs fuerit negatum: Ergo. P. Maj. quod eſt Contingens, poteſt eſſe Falſum: Ergo.

R. N. Maj. ad P. D. A. quōd eſt Contingens, poteſt eſſe Falſum abſolutè, & nullâ factâ hypotheſi, C. poteſt eſſe Falſum ex hypotheſi veritatis antecedentis, N. A. & Conſ. Si Antecedens ſit verum, etiam Conſequens erit verum; cùm veritas Conſequentis ſit connexa cum veritate Antecedentis.

389. Obj. 2. In hoc Syllogiſmo: *Omne currens eſt Leo: Omnis canis eſt currens: Ergo omnis Canis eſt Leo*; Præmiſſæ ſunt Contingentes, & Concluſio eſt Impoſſibilis: Ergo ex Contingente poteſt ſequi Impoſſibile.

R. D. A. In hoc Syllogiſmo Præmiſſæ ſunt Contingentes, ſi ſeorſim accipiantur, C. ſi accipiantur ſimul, N. A. & Conſ. Si Præmiſſæ ſimul, & pro eodem tempore accipiantur, ſunt impoſſibiles; quia impoſſibile eſt, ut omne currens ſit Leo ſimul & Canis, conſequenter in illo Syllogiſmo ex impoſſibili ſequitur impoſſibile.

390. Obj. 3. Ex Contingenti poteſt ſequi Neceſſarium. Ergo etiam ex neceſ-

Digitized by Google

ſario Contingens; Oppoſitorum enim, ut vulgare Axioma habet, eadem eſt diſciplina.

R. C. A. N. Conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd duo poſſint inter ſe neceſſariò connecti, quin neceſſariò connectantur eidem Tertio, unde ex Contingenti poteſt inferri Neceſſarium; quamvìs iſtud fiat tantùm per Accidens, ut in Regula dictum eſt. Contrà verò non poſſunt duo connecti neceſſariò eidem Tertio, quin hoc ipſo Neceſſariò connectantur inter ſe; unde ex Neceſſario non poteſt ſequi Contingens. Allatum Axioma ita intelligi debet, ut ſenſus ſit: Oppoſitorum eandem eſſe diſciplinam ſecundùm quid, non autem ſimpliciter; & ſenſus illius eſt; quòd qui cognoſcit unum, ſuô modô etiam cognoſcat alterum.

391. Obj. 4. Conceſſis Præmiſſis Contingentibûs ſemper ſequitur Concluſio Neceſſaria: Ergo ex Contingente nunquam ſequitur Contingens, ſed ſemper Neceſſarium.

R. D. A. Semper ſequitur Concluſio Neceſſaria neceſſitate Conſequentiæ, ſeu Formæ, C. neceſſitate Conſequentis, ſeu Materiæ, N. A. & Conſ. Regula noſtra eſt de Conſequente, ita ut ſenſus ſit, ex Antecedente Contingenti deduci Conſequens etiam Contingens; non verò eſt de Conſequentia, quæ in quavis Argumentatione bona eſt Neceſſaria.

392. Obj. 5. Contra 2. Regulam, &

& 6. ſimul: Intellectus non poteſt aſſentiri Falſo, vel Impoſſibili: Ergo ex falſo, vel impoſſibili nihil ſequitur.

R. D. A. Intellectus non poteſt aſſentiri Falſo, vel Impoſſibili quà tali, ſive ſi cognoſcat eſſe tale, C. non poteſt aſſentiri Falſo, vel Impoſſibili, quod eſt tale, ſive ſi non cognoſcat eſſe tale, ſed putet eſſe verum, N. A. & Conſ.

393. Obj. 6. Quidquid ſequitur ex altero, debet eſſe connexum cum altero: Atqui Verum non poteſt eſſe connexum cum Falſo: Ergo.

R. D. Maj. debet eſſe connexum cum altero, connexione ſemper Objectiva, & reali, N. Maj. connexione Formali orta ex diſpoſitione Terminorum. C. Maj. & ſic diſtincta Min. N. Conſ.

394. Obj. 7. Concluſio affirmat identitatem duorum inter ſe propterea, quia fuerunt identificata in eodem Tertio: Ergo impoſſibile eſt, ut ex Præmiſſis falſis ſequatur Concluſio vera.

R. Tranſeat A. D. Conſ. Ergo non poteſt ſequi Concluſio vera, quoad Objectum formale, ſeu quatenus affirmat cauſam identitatis duorum inter ſe, C. quoad Objectum Materiale, ſeu quatenus conjungit Prædicatum cum Subjecto, quæ duo jam aliunde ſunt conjuncta, N. Conſ.

395. Obj. 8. In hoc Syllogiſmo: *Omne album eſt coloratum: Omne album eſt Corpus: Ergo aliquod Corpus eſt coloratum:*

tum: Præmiſſæ ſunt Neceſſariæ, & Concluſio eſt Contingens: Ergo ex Neceſſario ſequi etiam poteſt Contingens.

R. N. A. Suppoſito, quòd Syllogiſmus ponatur eſſe bonus; nam niſi Concluſio ſumatur in ſenſu neceſſario, & conditionatè, ſicut Præmiſſæ, Syllogiſmus habet quatuor Terminos; cùm in Concluſione affirmet exiſtentiam Subjecti, quod non factum fuit in Præmiſſis. Ita reſponde ad hunc, aliòſque Syllogiſmos: *Omne currens eſt vivens, omne currens movetur: Ergo aliquod vivens movetur.* Nam ut Concluſio ſit bona, debet hunc habere ſenſum: Ergo aliquod vivens movetur, ſi exiſtat currens; in quo ſenſu erit Neceſſaria, & non Contingens.

396. Obj. 9. Poteſt ex Impoſſibili ſequi Neceſſarium: Ergo multò magis ex Neceſſario Contingens. P. Conſ. Neceſſarium magis opponitur Impoſſibili, quàm Contingens Neceſſario: Ergo.

R. D. A. Poteſt ex Impoſſibili ſequi Neceſſarium per ſe, N. A. tantùm per Accidens, C. A. & N. C. P. D. Neceſſarium magis opponitur Impoſſibili per ſe, & abſolutè, quàm Contingens Neceſſario, C. Magis opponitur per Accidens, & facta ſuppoſitione, quòd duo Extrema inter ſe verè connexa per errorem connectantur cum Medio Impoſſibili, N.

397. Obj. 10. Si duo Extrema in Syllogiſmo identificarentur inter ſe, tunc etiam eadem deberent identificari in eodem

dem Tertio; Atqui in Syllogiſmo, in quo ex falſo ſequitur verum, non identificantur in eodem Tertio: Ergo neque inter ſe: Ergo ex Falſo non poteſt ſequi Verum.

R. D. Maj. Identificarentur Extrema in eodem Tertio in Syllogiſmo, ubi Præmiſſæ ſunt falſæ, N. Maj. in alio Syllogiſmo, ubi Præmiſſæ ſunt veræ, C. Maj. & ſic diſtinctâ Min. N. Conſ.

ARTICULUS VIII.

De variis Argumentandi Modis.

Ab Actu ad Potentiam.

398. REg. 1. Ab Actu ad Potentiam valet Argumentum Poſitivum; non autem viciſſim à Potentia ad Actum. Hinc Bona eſt hæc Argumentatio: *Bonus Latro in Cruce converſus eſt: Ergo potuit converti.* Non autem hæc: *Omnis peccator in morte poterit converti: Ergò convertetur.* Ratio prioris eſt; quia Actus ſupponit Potentiam. Ratio poſterioris eſt; quia per Actum plus infertur in Conſequente, quàm per Potentiam poſitum fuerit in Antecedente. In Argumento autem Negativo, è contrà, valet Argumentatio à Negatione Potentiæ ad Negationem Actûs; non autem à Negatione Actûs ad Negationem Potentiæ; Bona enim

enim eſt hæc Argumentatio: *Petrus non poteſt currere: Ergo non currit.* Mala autem hæc: *Petrus non currit: Ergo non poteſt currere.*

399. Reg. 2. Valet Argumentatio à Potentia Simultatis ad SimultatemPotentiæ; Non autem viciſſim, à Simultate Potentiæ ad PotentiamSimultatis. Potentia Simultatis eſt conjungibilitas diverſorum actuum eodem tempore. Simultas Potentiæ eſt conjunctio diverſarum Potentiarum,abſtrahendo, utrum ſuos actus poſſint ſimul ponere. Regula declaratur in Exemplo. Sic valet hæc Argumentatio: *Poſſum orare, & genua flectere ſimul: Ergo habeo ſimul utramque Potentiam*; Orandi nimirum, & Flectendi genua. Non valet iſta: *Poſſum vigilare, & dormire: Ergo poſſum utrumque ſimul.* Nam Potentia Simultatis plus infert, quàm Simultas Potentiæ; videlicet iſta infert duntaxat ſimul eſſe Potentias; illa verò etiam ſimul eſſe Actus.

A Potentia Simultatis ad Simultatem Potentiæ: aut viciſſim.

400. Reg. 3. Non valet Argumentatio à Senſu Diſtributivo ad Collectivum, ſi Prædicatum conveniat uni propter abſentiam aliorum. Sic non valet: *Poſſum ferre centum libras: Ergo etiam mille.* Valet autem, ſi Prædicatum conveniat non propter abſentiam aliorum; v. g. *Petrus eſt animal: Paulus eſt animal*, & ſic de cæteris hominibus: *Ergo omnis homo eſt Animal.* Aliqui Regulam hanc ſic proponunt: Argumentatio à ſenſu Diſtri-

A Senſu Diſtributivo ad Collectivum.

ſtributivo ad Collectivum, & viciſſim, ſaltem Formaliter, non eſt bona. Sic bona non eſt hæc: *Singula Partes ſeorſim ſumptæ non ſunt Totum: Ergo nec ſimul ſumptæ.* Eſt tamen Materialiter bona, ſi habeat duplex hoc Requiſitum. 1. Si Prædicatum conveniat omnibus abſolutè, & non tantùm prout opponuntur Toti. Sic valet hæc: *Singuli homines ſunt rationales: Ergo omnes ſimul ſunt rationales.* 2. Si Prædicatum per additionem Singulorum non minuatur, nec ſuperetur. Sic valet etiam iſta: *Singula entia ſunt producta ab aliquo: Ergo omnia ſunt producta ab aliquo; ſeu: Tota Collectio eſt producta ab aliquo.* Ratio eſt; quia, ſi utrumque Requiſitum obſervetur, nihil in Conſequente infertur, quod non fuerit poſitum in Antecedente.

A Senſu Diſtributivo ad Disjunctivum.

401. Reg. 4. A Senſu Diſtributivo ad Disjunctivum bona eſt Argumentatio; ſed non viciſſim. Valet enim: *Petrus & Paulus currunt*: Ergo *vel Petrus, vel Paulus currit.* Ratio iterum eſt, quia hic non plus infertur in Concluſione, quàm poſitum fuerit in Antecedente. Non valet autem: *Vel Petrus, vel Paulus, currit: Ergo Petrus, & Paulus currunt;* Sic enim plus infertur in Concluſione, quàm poſitum fuerit in Antecedente.

A Senſu Compoſito ad Diviſum.

402. Reg. 5. A Senſu Compoſito ad Diviſum, ut bona ſit Argumentatio, duo requiruntur. 1. Ut utrumque Prædicatum diviſum poſſit dici de Subjecto. 2. Ut neutrum inferat negationem alterius

partis; Hinc valet: *Petrus eſt homo albus: Ergo eſt homo, & albus.* Non valet autem: *Petrus bonus eſt malus Logicus*: *Ergo Petrus bonus eſt malus.* In priori enim Exemplo utrumque Prædicatum poteſt ſeparatim dici de Petro; in ſecundo autem: Bonus; infert negationem mali.

403. Reg. 6. Ut verò ſit bona Argumentatio à ſenſu Diviſo ad Compoſitum, itidem requiruntur duo. 1. Ut unum ſit Forma alterius. 2. Ut unum non includatur in altero. Non valet ergo: *Petrus eſt bonus, & Logicus*: Ergo *Petrus eſt bonus Logicus*; Quia: Bonitas, non eſt Forma Logicæ. *A Senſu Diviſo ad Compoſitum.*

404. Reg. 7. Hæc Argumentatio: *Non implicat*: Ergo *eſt poſſibile*; eſt bona, ſi habeat hunc ſenſum: Omnibus, ea in re, conſideratis, non apparet implicantia: Ergo ea res probabiliùs eſt poſſibilis. Si autem habeat hunc ſenſum: In ea re, non apparet implicantia: Ergo implicantia in ea non datur; tunc Argumentatio non eſt bona; licèt enim non appareat implicantia; ea tamen poteſt à parte rei eſſe.

405. Reg. 8. Bona eſt Argumentatio ab Antecedente ad Conſequens; non autem viciſſim. Sic valet: *Eſt homo*: Ergo *eſt animal.* Non valet autem: *Eſt animal*: Ergo *eſt homo.* Itèm bona eſt à contradictoriè Oppoſito Conſequentis, ad contradictoriè Oppoſitum Antecedentis; non verò viciſſim. Sic bene pariter dicitur: *Si Petrus eſt homo, eſt animal*: Ergo *Ab Antecedente ad Conſequens.* *Ab Oppoſito Antecedentis ad Oppoſitum Conſequentis.*

 go

go, ſi non eſt animal, non eſt homo. Malè autem dicitur: *Si hoc ens eſt homo, eſt animal: Ergo, ſi non eſt homo, non eſt animal.*

A Propoſitione Affirmativa Infinitante ad Negativam aut viciſſim.

406. Reg. 9. Ex Propoſitione Affirmativa Infinitante ritè infertur Negativa, removens Formam à Subjecto, v. g. bona eſt Conſequentia: *Petrus eſt indoctus: Ergo Petrus non eſt doctus.* Nam cùm indoctus non habeat doctrinam, rectè de eo negatur doctrina. Non autem viciſſim valet illatio à Propoſitione Negativa ad Affirmativam Infinitantem, v. g. malè infertur: *Petrus non eſt doctus: Ergo eſt indoctus.* Ratio eſt; quia ſic poneretur Aliquid in Conſequenti, quod non fuit poſitum in Antecedenti; nam Conſequens hoc: *Petrus eſt indoctus*, affirmat exiſtentiam Petri, cùm ſit in Materia contingenti; Propoſitio autem Affirmativa in Materia contingenti affirmet exiſtentiam Subjecti, ùt vidimus in Regulis de veritate Propoſitionum; econtrà verò in Antecedenti non fuit poſita exiſtentia Petri; nam hæc Propoſitio: *Petrus non eſt doctus:* utpote Negativa in Materia contingenti non affirmat exiſtentiam Petri, ac poteſt eſſe vera; licèt Petrus non exiſtat, ùt ex citatis Regulis conſtat.

Argumentatio Proportionis.

407. Reg. 10. Argumentatio Proportionis, quam proponit, & demonſtrat Euclides, valet in Quantitatibus, non univerſaliter in aliis. v. g. *ſicut duo ſe habent ad quatuor, ſic ſe habent ſex ad duodecim:* Ergo,

Ergo, permutatis Terminis, *duo ſe habent ad ſex, ſicut quatuor ad duodecim.* Si autem univerſaliter valeret in aliis Proportionum generibus, tunc liceret inferre: Sicut ſe habet exiſtens ad non exiſtens, ſic ſe habet poſſibile ad impoſſibile: Ergo ſicut ſe habet exiſtens ad poſſibile, ita ſe habet non exiſtens ad impoſſibile: atqui ex eo, quòd res exiſtat, infertur, quòd ſit poſſibilis: Ergo ex eo, quòd res non exiſtat, infertur, quòd res ſit impoſſibilis; quod eſt apertè falſum, cùm infinita ſint poſſibilia, quæ non exiſtunt.

408. Reg. 11. Argumentatio à pari in Moralibus, & Quæſtionibus de modo loquendi non ſemper concludit. Ratio eſt, quia leges humanæ, & ſignificatio vocum dependent à libero Hominum arbitrio, qui frequenter non attendunt ad proportionem rationis; hinc ex eo, quòd hoc, vel illud delictum ſit juxta leges tali ſupplició puniendum, non poteſt inferri, quòd eodem ſupplicio æquale delictum ſit puniendum, & tametſi Germani chirotheeas Germanicè vocent calceos manuum, non tamen eaſdem dicunt crepidas manuum; nec tegumenta brachiorum vocant ocreas brachiorum, licèt ratio eſſet eadem. Ut autem argumentum hoc in aliis Materiis efficaciter concludat, requiritur, ut ratio, propter quam Prædicatum uni Termino paritatis tribuitur, adæquatè ſtet etiam pro alio Termino paritatis, ſicque ſit omnimoda, & formalis *A pari.*

paritas; aliàs Argumentum non concludet. Sic mala eſt illa Argumentatio à pari, quam Caligula poſuiſſe fertur, ut ſe Deum probaret: *Ovium Dux non eſt Ovis: Equorum Dux non eſt Equus: Aſinorum Dux non eſt Aſinus: Ergo nec Hominum Dux eſt Homo: Ergo DEUS.* Paritas enim eſt nulla; quia ratio, cur Ovium Dux non ſit ovis, eſt; quia ovis caret ratione, quæ ratio non pugnat pro Duce Hominum, ſicque in cœteris.

Non eſt petendum principium. 409. Reg. 12. In Argumentatione non debet peti Principium. Eſt autem petitio Principii fallax Argumentum, quo ad aliquid probandum aſſumitur pro Medio Termino Id, quod eſt formaliter in Quæſtione, vel aliquid Synonimum; ſive cùm probatur idem per idem. Hoc Argumentum plerumque fit per circulum vitioſum, quando nimirùm A. probatur per B. & viciſſim B. per A. Cœterùm non petitur Principium, quando probatur aliquid per aliud formaliter diverſum, & quod non eſt in Quæſtione, ùt cùm ad probandum Definitum aſſumitur Definitio.

Argumentatio à Neceſſitate. 410. Reg. 13. Iſta Argumentatio: Non eſt neceſſitas hujus rei: Ergo hæc res non datur; eſt bona, ſi Senſus ſit: Nihil eſt admittendum ſine gravi authoritate, ratione, experientia, vel quod non habet finem à natura intentum; vel ſi ſit tale, ut ipſius officio per aliud jam ſatisfiat; unde in ordine ad hoc utimur paſſim his axiomatis: DEUS, & Natura nihil faci-

faciunt fruſtra: Natura ſemper intendit, quod eſt melius: Ergo unitatem potiùs, quàm multiplicitatem. Mala autem eſt hæc Argumentatio, ſi ſenſus ſit, nihil exiſtere, niſi quod eſt abſolutè neceſſarium; ſic enim ſolus DEUS exiſteret, cùm ipſe ſolus ſit neceſſarius. Vocatur hæc Argumentatio, *Equus Ockami*; quia Ockamus, Nominalium Princeps, eâ frequenter eſt uſus.

411. Reg. 14. In Quæſtionibus de Nomine, ſeu de modo loquendi, ſentiendum cum pluribus. Ratio eſt, quia voces alium finem non habent à natura, quàm ut manifeſtent noſtros conceptus, & Objectum; hunc autem finem tunc videlicet obtinent, quando loquimur cum pluribus. In Quæſtione autem de Nomine bene fit Argumentum in Theologia Morali, & in Utroque Jure, cùm in iis Diſciplinis plurimum interſit, nôſſe, quid hoc, vel illo nomine ſignificetur, v.g. Bonorum Caſtrenſium, vel Duelli. Cœterùm Philoſophia, cùm ſit Scientia rationalis, potiùs attendit ad rationem, quàm ad modum loquendi, niſi forſan ubi à Quæſtione Nominis dependet Quæſtio realis. *Quæſtio de Voce.*

ARTICULUS IX.

De Reductione Syllogiſmi Imperfecti ad Perfectum.

412. SYllogiſmi Perfecti ſunt ſolùm Quatuor primi in Prima Figura; quia tam manifeſtè concludunt, ut, conceſſis Præmiſſis, non poſſit negari Conſequentia. Cæteri omnes ſunt Imperfecti; quia licèt bene concludant; hoc tamen non ſtatim primo intuitu apparet. Oſtenduntur autem bene concludere, ſi reducantur ad Syllogiſmum Perfectum. De Reductione multa habet Du Trieu Tract. 3. p. 2. c. 2. a. 3. 4. & 5. Reductio hæc eſt triplex: 1. Per Oſtenſionem. 2. Per Expoſitionem. 3. Per Impoſſibile.

Reductio eſt triplex.

Per Oſtenſionem.

413. Reductio per Oſtenſionem, ſive Oſtenſiva, eſt, cùm in Syllogiſmo Perfecto, ad quem fit Reductio, infertur eadem Concluſio, quæ inferebatur in Imperfecto; vel certè ejus Converſa, retento eodem Medio. Cujus totum artificium indicatur iiſdem Vocibûs, quibus Modi Syllogiſmorum proponuntur; videlicet iſtis: Barbara, Celarent; cum reliquis. Circa has Voces igitur Not. 1. Omnes Modos incipere ab una ex 4. his Litteris; B. C. D. F. Per quod oſtenditur, quemcum-

cumque Modum Imperfectum reduci debere ad illum Perfectum, qui incipit ab eadem Littera, quâ ipſe, v. g. Ceſare, ad: Celarent; Diſamis, ad: Darii. Not. 2. his rurſum Conſonantibus: S. P. M. C. ineſſe ſuas peculiares Significationes; Nam duæ primæ: S, & P, ſignificant Propoſitionem, indicatam per Vocalem proximè præcedentem, debere converti: S, quidem per Converſionem Simplicem; P, verò per Converſionem per Accidens. Littera: M, denotat, Præmiſſas eſſe mittendas, ſeu tranſponendas; ut Major fiat Minor, & viciſſim. Littera: C. denotat Modum, in cujus Medio ponitur, non poſſe reduci per Oſtenſionem, ſed debere reduci per Impoſſibile, ùt fit in Baroco, & Bocardo. Quæ Documenta his Verſibus continentur.

S. vult Simpliciter verti; P. verò Per Acci.
M. vult Transponi; C. per Impoſſibile duci.

Exemplo ſit iſte Syllogiſmus Imperfectus, in Ceſare:

Ce *Nullus lapis eſt animal:*
Sa *Omnis homo eſt animal:*
Re. *Ergo nullus homo eſt lapis.*

414. Porro in hoc Exemplo Adverten-dum 1. Hunc Modum incipere à Littera: C;

itaque reduci eum debere ad: Celarent. Advert. 2. Poſt primum: E; ſequi conſonantem: S; unde colligitur, primam Propoſitionem, Litterâ: E; ſignificatam, videlicet Majorem, convertendam Simpliciter. Unde Reductio fit hôc modô:

Ce *Nullum animal eſt lapis:*
La *Omnis homo eſt animal:*
Rent. *Ergo nullus homo eſt lapis.*

Quo pacto Syllogiſmus prior Imperfectus, ac non ita clarè concludens, reductus eſt ad Syllogiſmum hunc poſtremum Perfectum, ac clarè concludentem.

Per Expoſitionem.

415. Reductio per Expoſitionem fit, quando mutatô Medio Communi in Singulare, infertur eadem Concluſio in Syllogiſmo Expoſitorio, quæ priùs inferebatur in Syllogiſmo Simplici. Exemplo ſit iſte Syllogiſmus Tertiæ Figuræ in Darapti:

Da *Omnis homo eſt animal:*
Ra *Omnis homo eſt vivens:*
Pti. *Ergo aliquod vivens eſt animal.*

In hoc Syllogiſmo, ſi quis, conceſſis Præmiſſis, protervè negaret Conſequentiam; poſſet hæc Conſequentia probari per Expoſitionem, mutatô duntaxat Medio Coṁuni in Singulare, hôc modô:

Petrus eſt animal:
Petrus eſt vivens:
Ergo aliquod vivens eſt animal.

Atque

Atque ejuſmodi Syllogiſmus Expoſitorius rem luculenter exponit, ùt dictum eſt, & Principiis clariſſimè innititur.

416. Reductio per Impoſſibile fit, quando ex Contradictoria Concluſionis negatæ, & ex una Præmiſſarum, infertur Contradictoria alterius Præmiſſæ. Pro hac Reductione notandi ſunt ſequentes Verſiculi, quos affert Lynceus L. 5. Dialect. Tract. 1. c. 7. & ex quibus duo primi contingunt primam Figuram, tertius ſecundam, quartus tertiam. *Per Impoſſibile.*

Major fit Minor, & fit Contradictio
Major.
Dempto, Celantes, in quo pervertitur
Ordo.
Servat Majorem, variátque Secunda
Minorem.
Tertia Majorem variat; ſervátque Minorem.

417. Senſus eſt, ut fiat Reductio per Impoſſibile, in prima Figura Propoſitio, quæ fuit Major, mutatur in Minorem; ex Contradictoria autem Concluſionis negatæ fit Major; exceptô Modo, Celantes, in quo fit viciſſim. In Secunda Figura retinetur Major, & ex Contradictoria Concluſionis negatæ fit Minor. In Tertia Figura retinetur Minor, & ex Contradictoria Concluſionis negatæ fit Major. Pro exemplo ponamus hunc Syllogiſmum Secundæ Figuræ in Baroco:

Digitized by Google

Ba *Omne animal eſt ſenſitivum:*
Ro *Aliquis lapis non eſt ſenſitivus:*
Co. *Ergo aliquis lapis non eſt animal.*

In hoc Syllogiſmo, ſi quis, conceſſis Præmiſſis, negaret Conſequentiam; negantem poſſes cogere, ut admitteret Contradictoria, hôc modô. 1. Retine Majorem adducti Syllogiſmi, cùm ſit in Secunda Figura, videlicet hanc Propoſitionem: *Omne animal eſt ſenſitivum.* 2. Subjunge locô Minoris Contradictoriam Concluſionis negatæ; nimirum hanc: *Omnis lapis eſt animal.* 3. Infer ex his Præmiſſis Contradictoriam Minoris, priùs conceſſæ: *Ergo omnis lapis eſt ſenſitivus;* & prodibit hic Syllogiſmus in Barbara:

Bar *Omne animal eſt ſenſitivum:*
Ba *Omnis lapis eſt animal:*
Ra. *Ergo Omnis lapis eſt ſenſitivus.*

418. In hoc Syllogiſmo Majorem jam antè conceſſit Adverſarius; Minorem negare non poteſt; quia negavit ejus Contradictoriam; Concluſionem etiam non poteſt negare; quia Syllogiſmus eſt in Barbara; & Demonſtrativus. Hac autem Concluſione conceſſa conceſſit Contradictoria, nempe: quòd Omnis lapis ſit ſenſitivus; & Aliquis lapis non ſit ſenſitivus. Ex his patet, Primam, & Tertiam Reductionem, videlicet per Oſtenſionem, & per Impoſſibile, eſſe propriò

Tales;

Digitized by Google

Tales; quia in illis Syllogiſmus reducitur ad unum ex Primis quatuor Modis Primæ Figuræ. Secunda autem Reductio, ſive per Expoſitionem, minùs propriè eſt Talis; quia, quin reducatur Syllogiſmus ad unum ex quatuor primis Modis, duntaxat ex Communi fit Expoſitorius, ac Singularis.

ARTICULUS X.

De Inventione Medii.

419. ARtificium Syllogiſmi, ùt ex hactenus dictis abundè conſtat, in eo maximè conſiſtit, ut duo Extrema exinde oſtendantur eſſe inter ſe unita, aut diſtincta; quòd cum Tertio, ſive cum Medio, unita ſint, aut ab eo diſtincta. Itaque ad faciliorem hujus rei uſum, Artem tradunt Dialectici, cujus ope Medium expeditè inveniatur. Ars hæc, *Pons Aſinorum*, vocari ſolet; tum quòd Medii ope, Pontis in morem, utraque Extrema, veluti binas hinc inde amnis ripas, admordeat, connectátque; tum quòd non niſi felicioris ingenii Homines facilè tranſeant; Stupidi verò hucusque plurimi exinde deciderint, abjectô etiam proſequendi Philoſophici itineris, quod confecturos ſe deſperarent, conſiliô. *Status Quæſtionis.*

420.

Authorum de hac Arte ſenſus.

420. Sed multa quidem hac de Arte ſcripſerunt Veteres; præprimis Ariſtoteles L. 1. Prior. c. ult. eáque captu, uſuve haud ſanè facilia. Ex Recentioribus Arriaga in Procœmio ad Summulas, nullam aliam inveniendi Medii commodiorem Artem videre ſe ait, quàm felix ingenium: ſtudium continuum: frequentem diſputandi, & reſpondendi uſum: ac bonam memoriam, retinentem, quæ in ſimili occaſione ab aliis audita, vel à ſe excogitata aliquando fuerunt. Ita Author ille. Sed utut iſta quàm maximè juvent; Opinio tamen hæc, ſi eâ prorſus ſtetur, Artem omnem in difficilibus quibusque everteret; cum in iis utrobique ex ingenii vi plurima dependeant. Itaque tum alii, tum Toletus L. 4. c. 12. Regulas tradunt varias in variis Propoſitionibus, utique non fruſtra; cùm magna quantumvis ingenii felicitas, ac hominis ſolertia, Regulis tamen, & Præceptis, fulciri amet, ac adjuvari. Traditæ autem ab iis Authoribus Regulæ ad duas longè clariores, faciliorésque reducuntur, quarum una eſt pro Argumentationibus Affirmativis, altera pro Negativis.

Regulæ pro reperiendo Medio ſunt duæ.

Pro Argumentationibus Affirmativis.

421. Reg. 1. Quando probare cupimus, duo aliqua inter ſe identificari; exploranda ſunt Prædicata cuivis convenientia, ac ſi unum ex his Prædicatis repereris, quod univerſaliter dici poſſit de uno Extremo; de hoc autem Prædicato etiam prædicari poſſit alterum Extremum; tunc illud

illud Prædicatum erit optimum Medium; vî cujus affirmari poſſit unum Extremum de alio. Sic; quia de omni Homine prædicari poteſt: Animal, & de omni Animali: Senſitivum; hinc: Animal; eſt aptum Medium ad probandum, quòd Omnis homo ſit ſenſitivus; arguendo ſcilicet: *Omnis homo eſt animal: Omne animal eſt ſenſitivum: Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.* Iſte Modus nititur Principiô Affirmativo: Quæcunque ſunt eadem uni Tertio, ſunt eadem inter ſe.

422. Reg. 2. Quando autem probare vis, duo aliqua inter ſe diſtingui, inveſtigandum eſt, quænam Prædicata cuivis Extremo conveniant; ſcilicet, quæ Definitio; quod Genus, proximum, & remotum; quæ Differentiæ; quæ Proprietates. Quod ſi in uno aliquid reperias, quod alteri Extremo non convenit; illud erit Medius Terminus, quo probari poterit Diſtinctio unius Extremi ab altero. Sic; cum omne vivens ſit animatum; lapis autem non ſit animatus; Terminus hic: *Animatum*; erit Medium ad probandum, nullum lapidem eſſe viventem, & viciſſim dicendo: *Omne vivens eſt animatum: nullus lapis eſt animatus: Ergo nullus lapis eſt vivens.* Hic modus eſt facilis, fundatúrque in hoc Principio: Quæcunque diſtinguuntur in uno Tertio, diſtinguuntur inter ſe. *Pro Argumentationibus Negativis.*

423. Sed faciliſſima Praxis eſt, quam proponit Mæderius Diſp. 3. a. 4. videlicet: Si quidpiam, quod negatum eſt, probare velis; *Praxis ipſa inveniendi Medium.*

velis; quæres ex te: Quare hoc ita ſit, vel non ſit; & quod tibi pro ratione dederis, hoc habe pro Medio. v. g. Probare cupis, Catilinam eſſe puniendum; interroga: Quare? Reſpondebis tibi: quia Rempublicam turbavit, & habes Medium hujus Syllogiſmi: *Qui Rempublicam turbavit, eſt puniendus: Sed Catilina Rempublicam turbavit: Ergo Catilina eſt puniendus.* Aliud Exemplum familiare: Dico Petro Logico: Domine! hodie clauderis carcere; Tum ille: Quare? Adjicio: Quia ſæpiùs abſuiſti à Lectione abſque juſta cauſa. Ratio hæc eſt optimum Medium iſtius Syllogiſmi: *Qui ſæpiùs abfuit à Lectione abſque juſta cauſa, claudetur carcere: Sed Petrus ſæpiùs abfuit à Lectione, abſque juſta cauſa: Ergo Petrus claudetur carcere.*

Exempla alia ad Regulam pro Negativis.

424. Exempla etiam appoſita ad duas priores Regulas affert Gervaſius Parte 3. Log. a. 13. Et quidem, ſi Propoſitio aliqua Negativa ſit probanda, quærendas ait cauſas, & rationes, propter quas Prædicatum repugnet Subjecto; vel, quod idem eſt, quæ repugnent Prædicato Propoſitionis, & tamen conveniant Subjecto; Nam hôc ipſô, quòd aliquid repugnet Prædicato, quod tamen convenit Subjecto; ſequitur, quòd Prædicatum non ſit idem cum Subjecto. V. G. ſit iſta Propoſitio probanda: *Ebrietas non eſt bona.* Inveſtigare ad hoc oportet, quænam repugnent Bono, & tamen conveniant

Ebrie-

Ebrietati; ſi enim aliquid conveniat Ebrietati, quod repugnat Bono; ſequitur manifeſtè, quòd Ebrietas non ſit bona. Occurret autem: Quod ſanitatem labefactat: Quod opes dilapidat: Quod famam adducit in exitium: Quod probus quiſque abhorret; & ſic in aliis hujuſmodi; non eſt bonum: Hæc tamen conveniunt Ebrietati. Combinando itaque iſtos Terminos, ſic in Forma Argumentabor: *Quod Sanitatem labefactat, non eſt bonum: Sed Ebrietas ſanitatem labefactat: Ergo Ebrietas non eſt bona.* Ac rurſum: *Quod probus quiſque abhorret, non eſt bonum: Sed Ebrietatem probus quiſque abhorret: Ergo Ebrietas non eſt bona.*

425. In Affirmativis verò probanda aſſumatur hæc Propoſitio: *Jejunium eſt bonum. Jejunium*; eſt Subjectum, ùt patet; *Bonum* autem eſt Prædicatum. Ut igitur probem, Bonum convenire Jejunio; exquiram: Quænam res ſint, de quibus dicatur, Bonum, & quæ etiam poſſint convenire, Jejunio, inveniámque plurimas; v. g. Quod à vitiis retrahit, bonum eſt: Quod ſanitati conducit, bonum eſt: Quod mentem ad ſtudia, ac ad pias Meditationes, aptam facit, bonum eſt: quod meretur præmium æternum, bonum eſt; ſicque de aliis innumeris, quæ ſervire dein poſſunt pro Medio ad allatam Propoſitionem comprobandam; Nam ſi Termini complicentur, ſic Arguimus: *Quod à vitiis retrahit, bonum eſt: Sed Jejunium à vitiis*

Exempla alia ad Regulam pro Affirmativis.

vitiis retrabit: Ergo Jejunium bonum eſt. Sícque jam in reliquis. Porro ad Medium expeditè reperiendum, plurimùm quoque juvat, Locos Dialecticos accuratè perńôſſe; de quibus proin mox.

ARTICULUS XI.

De Locis Dialecticis.

Locus Dialecticus.

426. LOcus itaque Dialecticus, quem Communem etiam vocant, eſt Argumentorum ſedes; & Argumentum dicitur: Probabile Inventum ad faciendam fidem; quamquam ex Locis Dialecticis ſubinde etiam Demonſtrationes eruuntur. Locus duplex eſt; videlicet alius Intrinſecus, alius Extrinſecus. Locus Intrinſecus eſt ille, qui continet Argumenta ex ipſa re, ſeu, ut Oratores loquuntur, ex Viſceribus cauſæ, deprompta. Locus autem Extrinſecus eſt ille, qui continet Argumenta deprompta ex iis, quæ ſunt extra rem. Utriusque generis indicata paſſim aliqua hucusque ſunt, cùm data eſt opportunitas. Fusè multa adducit Du Trieu in Manud. Tract. 3. P. 2. c. 2. & 3. Fonſeca Inſtit. Dial. L. 7. c. 11. & ſeq. Ac etiam Toletus L. 5. c. 4. & ſeq. Præprimis autem Ariſtoteles in Lib. Topic. Quæ quoad Subſtantiam, amata brevitate, ac

Eſt duplex. Intrinſecus.

Et Extrinſecus.

quâ

qua fieri poterit, claritate, facilitatéque ponentur ſub oculis.

427. Ex locis Intrinſecis primus eſt Definitio, in qua (ùt etiam ſuperiùs n. 159. explicatum eſt) procedit hæc Regula: Quidquid affirmatur, vel negatur de Definitione, affirmatur, vel negatur de Definito, & vice verſa; cùm Definitio, & Definitum ſint idem; ùt: *Eſt animal rationale: Ergo eſt homo.* Eſt autem Locus iſte de Definitione Objectiva, & de Definito Objectivo; non verò de Definitione Formali, ac Definito itidem Formali; nam illa identificantur, non autem hæc. 2. Eſt à Genere ad Speciem; ùt: *Animal ſentit: Ergo homo ſentit.* Vel viciſſim, à Specie ad Genus; ùt: *Homo ambulat: Ergo aliquod animal ambulat.* 3. Eſt à Conjugatis. Sunt autem Conjugata, quæ ab uno derivata inter ſe variantur; vel, ùt ait Toletus L. 5. c. 10. Quæ ſe habent, ut Concretum, & Abſtractum; v.g. *Album*, &, *Albedo*; *Juſtum*, &, *Juſtitia.* In his argumentari ſic poſſumus: *Juſtitia eſt Virtus: Ergo Juſtus eſt Virtuoſus.* 4. Eſt à Partibus ad Totum, & è contra; ùt: *Cæli, Elementa, Aſtra ſunt mobilia: Ergo Mundus eſt mobilis.* Notandum tamen, ùt valeat Argumentum, Partes ſimul ſumi debere. 5. A Forma ad Effectum; ùt: *Habet animam rationalem: Ergo eſt homo.* Vel Ab Effectu ad Formam; ùt: *Eſt homo: Ergo habet animam rationalem.* Similiter valet ab aliis Cauſis ad Effectus, & è

Loci Intrinſeci.

A Definitione.

A Genere ad Speciem.

A Specie ad Genus.

Conjugata.

A Partibus ad Totum.

A Forma ad Effectum.

Ab Effectu ad Formam.

A variis Cauſis.

contra. A Cauſa Materiali; ùt: *Homo eſt compoſitus ex Contrariis: Ergo eſt corruptibilis.* A Finali; ùt: *Homo eſt creatus ad Beatitudinem: Ergo habet animam rationalem.* Ab Efficiente; ùt: *Mundus eſt à Deo conditus: Ergo eſt bonus.* 6. Eſt ab Antecedentibus, & Conſequentibus; ùt: *Eſt Admirativus: Ergo eſt riſibilis.*

Ab Antecedentibus, & Conſequentibus.

Loci Extrinſeci ab Auctoritate.

428. Loci Extrinſeci ſunt ſequentes. 1. Eſt ab Auctoritate, quæ duplex eſt: Divina, & Humana; ab utraque Argumentum ducimus; ſed à Divina Infallibile; ab Humana Dialecticum. Ab humana eſt iſtud: *Ariſtoteles dicit, terram quieſcere: Ergo terra quieſcit.* 2. Eſt à Pari; ùt: *Joannes eſt mortalis: Ergo & Petrus.* 3. A Repugnantibus; ùt: *Æthiops eſt niger: Ergo non eſt albus*; videlicet ſecundùm eandem partem. 4. A Contradictoriis; atque ex hoc Loco plurima paſſim Argumenta eruuntur, ùt jam notatum eſt; ùt: *Omnis homo eſt rationalis: Leo non eſt rationalis: Ergo Leo non eſt homo.* 5. A Comparatis, qui multipliciter dividuntur, ùt n. 105. & ſeq. dictum eſt; fitque in iis Argumentum à Simili; à Diſſimili; à Majore ad Minus; à Minore ad Majus; & quæ ſunt hujusmodi.

A Pari.

A Repugnantibus.

A Contradictoriis.

A Comparatis.

AR-

ARTICULUS XII.

De Syllogiſmo Analytico, & Topico.

429. Quæ hactenùs dicta ſunt, ad Syllogiſmum in genere pertinent; quæ verò inſuper de Analytico, Topico, & Sophiſtico, adverti convenit, hìc afferentur; in iſtas quippe potiſſimùm Species Syllogiſmum dividi, ſupra notatum eſt. De duobus prioribus modò agetur; de Sophiſmate inferiùs. Definitur itaque paſſim Syllogiſmus Analyticus, ſive Demonſtrativus, ad mentem Ariſtotelis L. 1. Top. c. 1. Syllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, Cauſiſque Concluſionis; ſive, ùt idem Philoſophus loquitur L. 1. Poſter. c. 2. Syllogiſmus faciens ſcire; aut denique, quod clariùs eſt, ùt habet Mæderius Diſp. 3. ſect. 5. Syllogiſmus, in quo ex Præmiſſis evidentibus ſequitur evidenter Concluſio. *Definitio Syllogiſmi Analytici.*

430. Igitur ad Syllogiſmum Demonſtrativum requiritur. 1. Ut conſtet Præmiſſis Veris; ex Falſo enim non poteſt ſequi Verum, niſi per Accidens; ùt dictum eſt. 2. Præmiſſæ illæ ſint ita claræ, ut non egeant Medio, quo ulteriùs probentur; unde Primæ, ac Immediatæ dicuntur. 3. *Et ejus Definitionis Explicatio.*

Notiores autem ſint, & Priores Concluſione; quia Concluſio propter ipſas nota eſt; ùt verò ait Ariſtoteles L. 1. Poſt. c. 2. Propter quod unumquodque tale, illud magis tale; intelligendo videlicet in eodem genere Cauſæ, & de Subjecto capaci Majoris Denominationis, ùt fit in noſtro caſu. 4. Denique in Demonſtratione Præmiſſæ ſint Cauſa Concluſionis, ùt mox explicabitur.

Demonſtratio eſt duplex: A Priori;

431. Eſt quippe duplex Demonſtratio; alia à Priori, alia à Poſteriori. Demonſtratio à Priori eſt, in qua per Cauſam demonſtratur Effectus; ùt: *Sol lucet: Ergo dies eſt.* In hac Præmiſſæ non tantùm ſunt Cauſa cognoſcendi, ſed etiam Cauſa eſſendi, reſpectu Concluſionis.

Et à Poſteriori.

Demonſtratio à Poſteriori autem eſt, in qua ex Effectu demonſtratur Cauſa; ùt: *Dies eſt: Ergo Sol lucet.* In hac Præmiſſæ ſunt Cauſa duntaxat cognoſcendi, non verò eſſendi, reſpectu Concluſionis.

Definitio Syllogiſmi Topici.

432. Syllogiſmus Topicus, qui etiam Probabilis, Opinativus, Dialecticus, ſive Diſputativus dicitur, ab Ariſtotele L. 1. Top. c. 1. definitur eſſe ille, qui ex Probabilibus eſt collectus. Gervaſius P. 3. Log. q. 2. a. 10. convenienter ad ea, quæ jam dicta ſuperiùs Q. 3. a. 3. §. 1. de hoc Syllogiſmo ſunt, eum ita explicat: Syllogiſmus Probabilis eſt ille, qui concludit ex Præmiſſis, quarum ſaltem una eſt tantùm Probabilis. Probabile autem eſt, quod licèt non ſit neceſſarium, apparet tamen ve-

Digitized by Google

verum; vel omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus; ùt: Quòd non ſit Parentibus diffidendum.

433. Effectus hujus Syllogiſmi eſt Opinio; utpote qui nititur Mediis tantùm Probabilibus. Artificium idem eſt, ac Syllogiſmi Demonſtrativi, & ſuppoſita veritate Præmiſſarum, infallibilis in eo quoque eſt veritas Concluſionis; quamquam, ùt dictum eſt, hæc per ſe ſit duntaxat probabilis; quia etiam Præmiſſæ ſunt duntaxat probabiles. Illius autem frequentiſſimus eſt uſus; cùm enim rariſſimè haberi poſſint Demonſtrationes; eòquòd rerum cauſæ paſſim nobis non ſint evidenter cognitæ; in plerisque illud ſaltem intendimus, ut probabiliter cognoſcamus; præſtat enim etiam tantùm probabiliter cognoſcere, quàm omnino non cognoſcere. *Ejusdem Syllogiſmi Effectus.*

ARTICULUS ULTIMUS.

De Syllogiſmo Sophiſtico.

434. SYllogiſmus Sophiſticus, qui etiam Captioſus, Litigioſus, & Fallax dicitur, ex Philoſopho 1. Top. c. 1. definitur: Syllogiſmus conſtans Propoſitionibûs quæ apparent veræ, & tamen non ſunt. Per Effectum definitur Syllogiſmus inducens in errorem. Fallax autem eſſe poteſt, vel ratio- *Definitio Syllogiſmi Sophiſtici.*

Digitized by Google

Alius eſt ratione Materiæ. ratione Materiæ, vel ratione Formæ. Ratione Materiæ fallax eſt, quando aſſeruntur Præmiſſæ ùt Probabiles, aut Evidentes, quales tamen non ſunt. Si ùt Probabiles; tunc mentitur Syllogiſmum Probabilem, & propriè Sophiſma eſt; Si verò ùt Evidentes; tunc mentitur Syllogiſmum Demonſtrativum, & Parologiſmus nuncupatur. *Alius ratione Formæ.* Ratione Formæ fallax eſt, quando proponitur, ac ſi indebita Forma eſſet, in qua tamen non eſt. Syllogiſmus fallax ratione Materiæ, poteſt eſſe Syllogiſmus verus ratione Formæ. Syllogiſmus verò fallax ratione Formæ, ne quidem eſt Argumentatio; cùm deſtitutus ſit connexione Præmiſſarum, & Concluſionis. *Finis Sophiſtarum.* Finis Sophiſtarum eſt evincere in Opinione audientium, cogendo aut ad Contradictionem apparentem, aut ad Falſum, quaſi ex victoria reportent lucrum; *Finis Logica circa Sophiſmata.* illis quippe, ùt loquitur Ariſtoteles L. 1. Elench. c. 2. magis operæ pretium eſt, videri Sapientes, quàm eſſe. Finis autem Logicæ, fallacias conſiderantis, eſt, eas detegere, & ſolvere.

Fallaciæ quædam ſunt in verbis, quædam in Rebus. 435. Fallaciæ ergo, quibus Sophiſtæ utuntur, ſunt duplicis generis: Quædam in Dictione, ſeu in Verbis; Quædam autem in Rebus. Fallaciæ in Verbis ſex potiſſimùm numerantur. *In Verbis ſunt ſex. Ab Æquivocatione.* 1. Eſt ab Æquivocatione, quæ oritur ex una voce diverſas res ſignificante; ùt in hoc Syllogiſmo: *Omnis Leo eſt rugibilis: Aliquod Sidus eſt Leo: Ergo aliquod Sidus eſt rugibile.* 2. Eſt

Eſt Amphibologia, quæ eſt ambiguitas Orationis. Provenit autem Amphibologia ex eo, vel quòd Oratio in diverſo ſenſu accipiatur; vel quòd varietur Caſus. Differt ab Æquivocatione; quia Æquivocatio eſt in Verbis; Amphibologia autem in Oratione. Exempla ſunt: *Qui arat litus, ſcindit terram: Sed qui operam perdit, arat litus: Ergo qui operam perdit, ſcindit terram.* Vel: *Omnes Studioſi libenter bibunt: Sed hi libri ſunt Studioſi: Ergo hi libri libenter bibunt.* 3. Eſt Fallacia Accentûs; cùm eadem vox ob diverſitatem Accentûs, aut alterius Accidentis Grammaticalis, variam ſortitur ſignificationem; ùt in ſequentibus: *Qui venantur lepores, opus habent ſclopetis: Atqui Oratores venantur lepóres: Ergo Oratores opus habent ſclopetis.* Rurſum: *Quod quis facit invitè, facit coactè: Sed Deus facit uvas in vite: Ergo Deus facit uvas coactè.* 4. Fallacia eſt Senſûs Compoſiti; cùm ea, quæ non ſunt vera, niſi in ſenſu Diviſo, accipiuntur in ſenſu Compoſito; ùt: *Hæc capra eſt Mater: Hæc capra eſt tua: Ergo hæc capra eſt Mater tua.* 5. Senſûs Diviſi; cùm ea, quæ vera ſunt tantùm conjunctim, accipiuntur diviſim; ùt: *Impoſſibile eſt dormientem videre: Sed Petrus eſt dormiens: Ergo impoſſibile eſt Petrum videre.* 6. A Figura Dictionis, quæ provenit ex variarum vocum Similitudine; ùt: *Quas emiſti carnes comediſti: Sed emiſti carnes crudas: Ergo carnes crudas*

Amphibologia.

Fallacia Accentûs.

Senſûs Compoſiti.

Senſûs Diviſi.

Digitized by Google

crudas comediſti. Fallacia eſt in iſta voce: *Quas*; quæ appellat ad Subſtantiam rei tantùm, & tamen in illo Syllogiſmo ſumitur, quaſi appellaret ad Qualitatem.

Fallacia in Rebus ſunt ſeptem.

436. Fallaciæ autem in Rebus ipſis fundatæ numerantur ſeptem. 1. Eſt Fallacia Accidentis; cùm id, quod per Accidens convenit Superiori, infertur convenire Inferioribus; ùt: *Animal eſt neutrius generis: Homo eſt animal: Ergo Homo eſt neutrius generis.*

Fallacia Accidentis.

2. Eſt à Dicto ſecundùm quid ad Dictum ſimpliciter; vel è contra; ùt: *Vinum eſt noxium febricitantibus: Ergo vinum eſt noxium.*

A Dicto ſecundùm quid ad Dictum ſimpliciter.

3. Eſt ab Ignorantia Elenchi; cùm Sophiſta infert Concluſionem velut Contradictoriam, quæ re vera non eſt Contradictoria; ùt ſi quis dicat: *Petrus ſtudet Ariſtoteli, & non Ciceroni: Ergo Petrus ſtudet, & non ſtudet.*

Ab Ignorantia Elenchi.

4. Eſt Petitio Principii; cùm Idem probatur per Idem; vel per aliud obſcurius, aut æquè obſcurum; ùt: *Alexander eſt Philippi Filius; quia Philippus eſt Pater Alexandri.*

Petitio Principii.

5. Eſt à Conſequente, & Antecedente, cùm ſcilicet vel ex Superiori colligitur Inferius, hôc modô: *Eſt animal: Ergo eſt homo.* Vel, cùm ex Negatione Inferioris negatur Superior; ùt: *Non eſt homo: Ergo non eſt animal.*

A Conſequente, & Antecedente.

6. Fallacia eſt Non cauſæ ùt cauſæ; Quando ſcilicet tribuitur effectus ei Cauſæ, à qua non eſt; ùt ſi dicas: *Non vacandum Studiis; quia hæc plurimis fuerunt nocumen-*

Fallacia non cauſa ùt cauſa.

Digitized by Google

mento. Nocumentum enim non fuit ex ſtudiis, ſed ex pravo eorum uſu. Fieri etiam poteſt hæc Fallacia in Syllogiſmo; quando falſitas, quæ ex Præmiſſa falſa provenit, alteri Præmiſſæ tribuitur, quæ vera eſt; ut fit in hoc Exemplo: *Omnis Virtus eſt laudanda: Sed omnis Prodigalitas eſt Virtus: Ergo omnis Prodigalitas eſt laudanda. Sed Conſequens iſtud eſt falſum: Ergo falſum etiam eſt Antecedens; ac proin falſum eſt, quòd omnis Virtus ſit laudanda.* 7. Denique eſt Fallacia plurium Interrogationum per modum unius; ut: *Homo, & lapis, ſuntne animal?* Si affirmas; inferet Sophiſta: *Ergo lapis eſt animal.* Si neges; inferet: *Ergo homo non eſt animal.* Quare ad vitandam hanc Fallaciam, tot dandæ ſunt Reſponſiones, quot propoſitæ fuerunt Interrogationis partes; hôc modô: *Homo eſt animal; & lapis non eſt animal.*

Fallacia plurium Interrogationum.

Atque hìc Summulas Logicæ claudimus; quæ Tibi, Lector Benevole, mihique felici ſint uſui; potiſſimùm verò ad hoc conducant plurimùm, ut ex Antecedente bona vita Concluſio Nobis ſequatur Felicitas Æterna.

FINIS OPUSCULI.

INDEX.

A.

ABſoluta Suppoſitio Diſtributiva quid ſit. Paginâ. 93
Abſolutus Terminus quid ſit. 84
Ejus diſcrimen à Categorematico. 85
Abſtractus Terminus quid ſit. 78
Accidens quid ſit. 55
Accidentale Concretum quid ſit. 85
Accommoda Suppoſitio Diſtributiva quid ſit. 94
Adæquatè extrinſecum Concretum quid ſit. 79
Adæquatè intrinſecum Concretum quid ſit. 79
Æquipollentia Propoſitionum quid ſit. 225
Ejus Regula pro Contradictoriis. ibid.
Pro Contrariis, & Subcontrariis. ibid. &c.
Pro Subalternis. 226
Æquivocus Terminus quid ſit. 60
Quid ad eum requiratur. 61
Sumitur quandoque ſtrictè, quandoque minùs ſtrictè. 63
Affirmativa Propoſitio quid ſit. 258
Quid dicat in Materia Neceſſaria. 159
In Contingenti. 160
Alienatio quid ſit. 123
Ampliatio quid ſit. 120

Modi

Modi in ea Argumentandi. 121
Analogus Terminus quid ſit, 61
Quotuplex, - - ibid.
Analyticus Syllogiſmus quid ſit, 245. 323
Antecedens in Argumentatione quid ſit, 236
Appellatio quid ſit. - 123
Quotuplex. - 124
Apprehenſio ſimplex, Vide Simplex Apprehenſio.
Arbor Porphyrii. Vide, Linea Prædicamentalis.
Argumentandi Modi, Vide, Modi Argumentandi.
Argumentatio quid ſit, - 236
Ejus partes, - ibid. &c.
Quotuplex ſit, - 237 &c.
Variæ ſpecies Argumentationis bonæ. 241
Aſcenſus Terminorum quid ſit, 116
Quotuplex. - - 117

B.

BOnæ Conſequentiæ Regulæ, Vide, Conſequentia.

C.

CAſus Rectus quid ſit, - 18
Et Obliquus. - ibid.
In Recto quid Concreta importent. Vide, Concretum.
Categorematicus Terminus quid ſit. 67
Quinam Termini ſint Categorematici. 68
Categoricus Syllogiſmus quid ſit, 244
Cauſalis Propoſitio quid ſit, - 155
Quandonam ſit vera, - 162
Ejus Contradictoria qualis eſſe debeat. 217
Collectiva Suppoſitio quid ſit. - 92
Collectivus Terminus quid ſit. - 58

Com-

Digitized by Google

Communis Syllogiſmus quid ſit. 244
Communis Terminus quid ſit. 52
An DEus ſit Terminus Communis. ibid.
An Termini Æquivoci. 53
An Analogi ibid.
An Terminus: Omnis Homo. 54
Completa Suppoſitio Diſtributiva quid ſit. 93
Complexa Propoſitio. Vide, Compoſita.
Complexus Syllogiſmus quid ſit. 244
Complexus Terminus quid ſit. 70
Quæ ad eum requirantur. ibid.
Compoſita Propoſitio quid ſit. 153
Concluſio in Argumentatione quid ſit. 236. 248
Quotuplex 240
Concretivè quando ſumatur Concretum. 81
Concretum quotuplex ſit. 79. &c.
Quod modis ſumatur. 81
Quid Concreta importent in Recto. 82
Concretus Terminus quid ſit. 78
Quot habeat partes. ibid.
Conditionalis Propoſitio quid ſit. 155
Quandonam ſit vera. 166
Ejus Contradictoria qualis eſſe debeat. 216
Confuſa Suppoſitio quid ſit. 95
Confuſus Terminus quid ſit. 58
Connotativus Terminus quid ſit. 84
Ejus diſcrimen à Syncategorematico. 85
Conſequens in Argumentatione quid ſit. 236
Cur inter diſputandum diſtinguatur, non autem Conſequentia. 240
Conſequentia quid ſit. 237
Quotuplex. ibid.
Cur inter diſputandum non diſtinguatur, ſed Conſequens. 240
Ejus Regulæ. 249. &c.
Contingens Propoſitio quid ſit. 151
Contradictoriæ Propoſitiones quid ſint. 166

Ea:

Earum Leges. - - 169
Contrariæ Propoſitiones quid ſint. 166
Earum Leges. - 171
Converſio Propoſitionum quid ſit. 227
Quotuplex. - - 228
Ejus Regulæ. - ibid. &c.
Copula quid ſit. - - 11
An ſemper in Propoſitione ponatur explicitè. - - 12
Quandonam accipiatur Formaliter, & quandonam Materialiter. 17
Copulativa Propoſitio quid ſit. - 155
Quando ſit vera. - 161
Neceſſaria. - - ibid.
Impoſſibilis. - - ibid.
Ejus Contradictoria qualis eſſe debeat. 215
Copulativus Aſcenſus, aut Deſcenſus Terminorum quid ſit. 117

D.

DEfinitio ut bona ſit, quid requirat. 13. &c.
Quid ſit. - 126
Quotuplex. - - ibid. &c.
In ea Argumentandi Modus. 129
Ejus Regulæ Eſſentiales. - 130
Non eſſentiales. - 131
Definitum quid ſit. - - 126
Quotuplex. - - ibid.
Deſcenſus Terminorum quid ſit. 116
Quotuplex. - - 117
Dictum in Propoſitione quid ſit. 154
Differentia quid ſit. - 55
Quotuplex. - - 56
Dilemma quid ſit. - - 242
Diſcurſus, tertia mentis Operatio. 8

Quo-

Digitized by Google

Quomodò Propoſitiones in eo vocentur. 9
Disjunctiva Propoſitio quid ſit. . 155
Quando ſit vera. . ibid.
Ejus Contradictoria qualis eſſe debeat. 215
Disjunctiva Suppoſitio quid ſit. 94
Disjunctivus Aſcenſus, aut Deſcenſus Terminorum quid ſit. . 118
Diſtributiva Suppoſitio quid ſit. 92
Quotuplex. . . 93
Diſtributivus Terminus. Vide, Diviſivus.
Diviſio quid ſit. . . 138
Quotuplex. . . 139
Ejus Regulæ. . . 140
Diviſivus Terminus quid ſit. . 58
Ejus Differentia à Termino Communi. 59

E.

ENthymema quid ſit. . . 241
Exceptiva Propoſitio quid ſit. 156
Excluſiva Propoſitio quid ſit. . 156
Exemplum, Species Argumentationis quid ſit. . . 242
Exponibilis Propoſitio quid ſit. 155
Quotuplex. . . 156
Quandonam æquivaleat Copulativæ, & quandonam Disjunctivæ. 157
Quandonam ſit vera. . 163
Ejus Oppoſitio. . 219
Extremum in Syllogiſmo quid ſit. 242
Quotuplex. . ibid.

F.

FIgura in Syllogiſmo quid ſit. . 249
Quotuplex. . ibid.
Finitus Terminus quid ſit. . 76
Forma Propoſitionis quid ſit. . 150
Formalis Argumentatio quid ſit. . 234
Quo-

Quotuplex. . . ibid.
Formalis Propoſitio quid ſit. . 12
Formalis Suppoſitio quid ſit. . 91
Quotuplex. . ibid.
Formalis Terminus quid ſit. . 37
Formaliter quandonam Vox accipiatur. 17. &c.

G.

GEnus quid ſit. . . 55
Quotuplex. . ibid. &c.

H.

HYpotheticus Syllogiſmus quid ſit. 244

I.

IDentica Propoſitio quid ſit. . 162
Impertinentes Termini quid ſint. 86
Impoſſibilis Propoſitio quid ſit. 151
Incompleta Suppoſitio Diſtributiva quid ſit. 93
Individuum quid ſit. . 54
Quotuplex. . . ibid.
Vagum quid ſit. . 59
Inductio quid ſit. . . 241
Infinitanter quando ſumatur Propoſitio. 77
Infinitus Terminus. . . 77
Inordinata Propoſitio quid ſit. 152
Inventio Medii. Vide, Modus inveniendi Medium ad Syllogiſmum.
Judicium, ſecunda Mentis Operatio. 8

L.

LEges Contradictoriarum. Vide, Contradictoriæ.
Contrariarum. Vide, Contrariæ.
Sub-Contrariarum. Vide, Sub-Contrariæ.
Sub-

Sub-Alternarum. Vide Sub-Alternæ.
Linea Prædicamentalis ad finem Opuſculi.
Locales Modi in Propoſitione. 154
Loci Dialectici quid ſint. 320
Extrinſeci. 322
Intrinſeci. 321

M.

MAjor Propoſitio in Syllogiſmo quid ſit. 248
Majus Extremum in Syllogiſmo quid ſit. 246
Materia Propoſitionis quid ſit. 150
Quotuplex. ibid. &c.
Materialis Suppoſitio quid ſit. 90
Quotuplex. ibid.
Materialiter quandonam Vox accipiatur. 71.&c.
Medius Terminus in Syllogiſmo quid ſit. 246
Mentalis Propoſitio quid ſit. 12
Mentalis Terminus quid ſit. 37
Metaphyſica Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. 151
Metaphyſicum Concretum quid ſit. 80
Minor Propoſitio in Syllogiſmo quid ſit. 248
Minus Extremum in Syllogiſmo quid ſit. 247
Modalis Propoſitio quid ſit. 153
Modi Argumentandi. 302
Modi in Propoſitione Simplices. 153
Quibusnam Signis æquivaleant. 217
Temporanei. 154
Quibusnam Signis æquivaleant. 219
Locales. ibid.
Quibusnam Signis æquivaleant. 219
Modus inveniendi Medium ad Syllogiſmum. 315
Modus ſciendi quid ſit. 125
Quotuplex. ibid.
Modus Syllogiſmi quid ſit. 249
Quo-

Digitized by Google

Quotuplex. 151. &c.
Moralis Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. 152

N.

NEceſſaria Propoſitio quid ſit. 150
Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. 150
Quotuplex. 151
Neganter quando ſumatur Propoſitio. 77
Negativa Propoſitio quid ſit. 158
Quid dicat in Materia Impoſſibili. 160
In Contingenti. 161
Negativus Terminus quid ſit. 85
Quotuplex. ibid.
Nomen quid ſit. 143

O.

OBjectiva Propoſitio quid ſit. 12
Objectivus Terminus quid ſit. 37
Obliquus Caſus. Vide, Caſus obliquus.
Operatio mentis quid ſit. 7
Quotuplex. 8
Oppoſitio Propoſitionum quid ſit. 165
Quænam ad eam requirantur. ibid.
Quotuplex ſit. 166
Oratio quid ſit. 145
Quotuplex. 146
Ordinata Propoſitio quid ſit. 152

P.

PArticularis Propoſitio quid ſit. 157
Particularis Terminus quid ſit. 57
Ejus Differentia à ſingulari. ibid.
Dicitur etiam Individuum vagum. 58
Partim intrinſecum, partim extrinſecum.
Concretum quid ſit. 79
Perſonalis Suppoſitio quid ſit. 91
Quotuplex. 92

Pertinentes Termini quid ſint. - 86
Quotuplices. - - ibid.
Phyſica Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. 151
Phyſicum Concretum quid ſit. - 80
Poſitivus Terminus quid ſit. - 85
Prædicamentalis Linea. Vide, Linea Prædicamentalis.
Prædicamentum quid ſit. - 56
Quotuplex. - - 57
Prædicatum quid ſit. - 11
Primò-Intentionalis Terminus quid ſit. 71
Aliud eſt, eſſe Terminum Primò-Intentionalem, aliud, ſumi Primò-Intentionaliter. 72
Principia Syllogiſmi. - 245. &c.
Vide Syllogiſmus.
Privativus Terminus quid ſit. - 86
Propoſitio major, vel minor in Syllogiſmo. Vide, Major, vel minor Propoſitio in Syllogiſmo.
Propoſitio quid ſit. - - 11. 149
Ejus partes. - - ibid.
Prima ejus Diviſio. - 12
Quomodò ordinetur. - 13
Quando fiat finita, vel infinita. 77
Quando ſumatur infinitanter, quando neganter. - - ibid.
Quotuplex ſit ratione Materiæ. 150
Ratione Formæ. - 153
Ratione Quantitatis, & Qualitatis. - - 157
Quid ſit ejus Veritas, aut Falſitas. 158
Quando ſit vera, vel falſa in Materia Neceſſaria. - - 159
Impoſſibili. - ibid.
Contingenti. - ibid.
Quid dicat Affirmativa in Materia Neceſſaria. - - ibid.

Quid dicat Negativa in Materia Impoſſibili. - - 160
In Contingenti. - 161
Quid, ut vera ſit, requirat Propoſitio Copulativa. - - 161
Neceſſaria. - ibid.
Impoſſibilis. - ibid.
Disjunctiva. - ibid.
Conditionalis. - 162
Cauſalis. - ibid.
Modalis. - ibid.
Exponibilis. - 163
Propoſitiones Oppoſitæ quid ſint. 165
Quotuplices. - 166. &c.
Proprium quid ſit. - - 55

Q.

Qualitas Propoſitionis quid ſit. 150
Quantitas Propoſitionis quid ſit. ibid.

R.

Rectus Caſus. Vide, Caſus Rectus.
Reductio Syllogiſmi imperfecti ad perfectum. Vide, Syllogiſmus.
Reduplicativa Propoſitio quid ſit. 156
Reduplicativè quando ſumatur Concretum. 81
Regulæ bonæ Conſequentiæ. Vide, Conſequentia.
Regulæ Converſionum. Vide, Converſio.
Regulæ de variis argumentandi modis. Vide, Argumentandi modi.
Regulæ Suppoſitionum. Vide, Suppoſitionum Regulæ.
Regulæ Syllogiſmorum. Vide, Syllogiſmus.
Reſtrictio quid ſit. - 122
Modi in ea argumentandi. ibid.

Digitized by Google

S.

Scripta Propoſitio quid ſit. - 12
Scriptus Terminus quid ſit. - 37
Secundo-Intentionalis Terminus quid ſit. 71
Aliud eſt, eſſe Secundò-Intentionalem Terminum, aliud ſumi Secundò-Intentionaliter. - 72
Significativus Terminus quid ſit. 39
Signum quid ſit. - 40
Quid naturale. - ibid.
Quid ad placitum. - ibid.
Cujus rei ſigna ſint voces non ſignificativæ. - - ibid.
Et ſignificativæ. - ibid.
Simplex Apprehenſio Prima Mentis Operatio. - 8
Simplex modus in propoſitione quid ſit. 153
Quotuplex. - ibid.
Simplex Propoſitio quid ſit. - 153
Quotuplex. - ibid.
Simplex Suppoſitio quid ſit. - 91
Simplex Syllogiſmus quid ſit. - 244
Simplex Terminus quid ſit. - 69
Singularis Propoſitio quid ſit. 158
Singularis Syllogiſmus quid ſit. 144
Singularis Terminus quid ſit. 54
Vocatur etiam Individuum. ibid.
Quotuplex ſit Individuum. ibid.
Sophiſticus Syllogiſmus quid ſit. 245. 325
Ejus Fallaciæ in Verbis. 326
In Rebus. - 328
Sorites quid ſit. - - 242
Species quid ſit. - - 55
Specificativè quando ſumatur Concretum. 81
Status quid ſit. - 119
Subalternæ Propoſitiones quid ſint. 167
Earum Leges. - 174

Sub

Subcontrariæ Propoſitiones quid sint. 167
Earum Leges. - 174
Subcontrariæ Propoſitiones quid sint. 167
Earum Leges. - 173
Subjectum quid ſit. - 11
Subſtantiale Concretum quid ſit. 80
Naturæ. - 81
Perſonæ. - ibid.
Supertranscendentalis Terminus quid ſit, & an detur. - 65
Suppoſitio unde trahat nomen. 88
Quid ſit. - ibid.
Quotuplex. - 90. &c.
Suppoſitionum Regulæ de Subjecto. 101
De Prædicato. - 103
Syllogiſmus quid ſit. - 243
Quotuplex. - 244. &c.
Ejus Principia intrinſeca. 246
Materialia remota. 246
Proxima. 248
Formalia. - 249
Principia extrinſeca tum Logica, 265
Tum Metaphyſica. 266
Regulæ Generales. 271
Speciales cujuslibet Figuræ. 289
Syllogiſmorum etiam Compoſitorum, & Expoſitorii. 291
Reductio imperfecti ad perfectum. 310
Quotuplex ea ſit. ibid.
Quomodò medium in eo inveniatur. 315
Syncategorematicus Terminus quid ſit. 67
Quinam Termini ſint Syncategorematici. - 68. &c.

T.

Tabulæ Oppoſitarum ad finem Opuſculi, Cum Regulis in Compendio. Ibidem poſtremâ Tabula.
Temporanei modi in Propoſitione. 154
Terminus variè accipitur. 10

Digitized by Google

Logicus quid ſit. 14. &c.
An Termini ſint Subjectum, & Prædicatum. 16
An etiam extra Propoſitionem. 17
An Copula formaliter ſumpta. ibid.
An Materialiter ſumpta. ibid.
An Caſus obliqui, Præpoſitiones, Adverbia, Conjunctiones. 18
An integra Propoſitio. 19
An voces non ſignificativæ. ibid.
Ejus Diviſiones ex Re ſignificante. 36. &c.
Ex Re ſignificata. 51. &c.
Ex Modo ſignificandi. 66. &c.
Ex Comparatione ad invicem. 86. &c.
Topicus Syllogiſmus quid ſit. 245. 323
Tranſcendentalis Terminus quid ſit. 65
Quotuplex. ibid.


U.

VErbum quid ſit. 145
Virtualis argumentatio quid ſit. 238
Univerſalis Propoſitio quid ſit. 157
Univerſalis Terminus univerſalitate ſigni. 55
Univerſalitate Prædicati. ibid.
Iſtud ponitur quintuplex:
Genus, Species, Differentiæ, Proprium, Accidens. ibid.
Univocus Terminus quid ſit. 60
Quid ad eum requiratur. ibid.
Sumitur quandoque ſtrictè, quandoque minùs ſtrictè. 63
Ejus ſtrictè ſumpti diſcrimen à Termino Communi. ibid.
Vocalis Propoſitio quid ſit. 12
Vocalis Terminus quid ſit. 37
Voces non ſignificativæ cujus rei ſint ſignum. 40
Et ſignificativæ. ibid.

FINIS INDICI.

LI.


Linea Prædicamentalis Subſtantiæ.



Tabulæ Propoſitionum Oppoſitarum.


TABULA PRIMA.

Oppoſitarum Simplicium, & Abſolutarum.



TABULA SECUNDA.


Oppoſitarum Simplicium Singularium.



TA-


TABULA TERTIA.

Oppoſitarum Simplicium cum caſu obliquo.




TABULA QUARTA.

Oppoſitarum Copulativarum, & Diſjunctivarum.




TA-

TABULA QUINTA.
Oppoſitarum Conditionalium.




TABULA SEXTA.
Oppoſitarum Cauſalium.



TA-


TABULA SEPTIMA.

Oppoſitarum Modalium cum Modo ſimplici.



TABULA OCTAVA.

Oppoſitarum Modalium Temporanearum.



TA-

Sub-Alternarum. Vide Sub-Alternæ.
Linea Prædicamentalis ad finem Opuſculi.
Locales Modi in Propoſitione. . 154
Loci Dialectici quid ſint. . 320
Extrinſeci. . . 322
Intrinſeci. . . 321

M.

Major Propoſitio in Syllogiſmo quid ſit. . . . 248
Majus Extremum in Syllogiſmo quid ſit. 246
Materia Propoſitionis quid ſit. 150
Quotuplex. . . ibid. &c.
Materialis Suppoſitio quid ſit. . 90
Quotuplex. . . ibid.
Materialiter quandonam Vox accipiatur. 71. &c.
Medius Terminus in Syllogiſmo quid ſit. 246
Mentalis Propoſitio quid ſit. . 12
Mentalis Terminus quid ſit. . 37
Metaphyſica Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. . . 151
Metaphyſicum Concretum quid ſit. 80
Minor Propoſitio in Syllogiſmo quid ſit. 248
Minus Extremum in Syllogiſmo quid ſit. 247
Modalis Propoſitio quid ſit. . 153
Modi Argumentandi. . 302
Modi in Propoſitione Simplices. 153
Quibusnam Signis æquivaleant. 217
Temporanei. . . 154
Quibusnam Signis æquivaleant. 219
Locales. . . ibid.
Quibusnam Signis æquivaleant. 219
Modus inveniendi Medium ad Syllogiſmum. . . 315
Modus ſciendi quid ſit. . 125
Quotuplex. . . ibid.
Modus Syllogiſmi quid ſit. . 249

Quo-

Quotuplex. 151. &c.
Moralis Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. 152

N.

NEceſſaria Propoſitio quid ſit. 150
Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. 150
Quotuplex. 151
Neganter quando ſumatur Propoſitio. 77
Negativa Propoſitio quid ſit. 158
Quid dicat in Materia Impoſſibili. 160
In Contingenti. 161
Negativus Terminus quid ſit. 85
Quotuplex. ibid.
Nomen quid ſit. 143

O.

OBjectiva Propoſitio quid ſit. 12
Objectivus Terminus quid ſit. 37
Obliquus Caſus. Vide, Caſus obliquus.
Operatio mentis quid ſit. 7
Quotuplex. 8
Oppoſitio Propoſitionum quid ſit. 165
Quænam ad eam requirantur. ibid.
Quotuplex ſit. 166
Oratio quid ſit. 145
Quotuplex. 146
Ordinata Propoſitio quid ſit. 152

P.

PArticularis Propoſitio quid ſit. 157
Particularis Terminus quid ſit. 57
Ejus Differentia à ſingulari. ibid.
Dicitur etiam Individuum vagum. 58
Partim intrinſecum, partim extrinſecum.
Concretum quid ſit. 79
Perſonalis Suppoſitio quid ſit. 91
Quotuplex. 92

Pertinentes Termini quid ſint. - 86
Quotuplices. - - ibid.
Phyſica Neceſſitas Propoſitionis quid ſit. 151
Phyſicum Concretum quid ſit. - 80
Poſitivus Terminus quid ſit. - 85
Prædicamentalis Linea. Vide, Linea Prædicamentalis.
Prædicamentum quid ſit. - 56
Quotuplex. - - 57
Prædicatum quid ſit. - 11
Primò-Intentionalis Terminus quid ſit. 71
Aliud eſt, eſſe Terminum Primò-Intentionalem, aliud, ſumi Primò-Intentionaliter. 72
Principia Syllogiſmi. - 245. &c.
Vide Syllogiſmus.
Privativus Terminus quid ſit. - 86
Propoſitio major, vel minor in Syllogiſmo.
Vide, Major, vel minor Propoſitio in Syllogiſmo.
Propoſitio quid ſit. - - 11. 149
Ejus partes. - - ibid.
Prima ejus Diviſio. - 12
Quomodò ordinetur. - 13
Quando fiat finita, vel infinita. 77
Quando ſumatur infinitanter, quando neganter. - - ibid.
Quotuplex ſit ratione Materiæ. 150
Ratione Formæ. - 153
Ratione Quantitatis, & Qualitatis. - - 157
Quid ſit ejus Veritas, aut Falſitas. 158
Quando ſit vera, vel falſa in Materia
Neceſſaria. - - 159
Impoſſibili. - ibid.
Contingenti. - ibid.
Quid dicat Affirmativa in Materia Neceſſaria. - - ibid.
Quid

Quid dicat Negativa in Materia Impoſſibili. - - 160
In Contingenti. - 161
Quid, ut vera ſit, requirat Propoſitio Copulativa. - - 161
Neceſſaria. - ibid.
Impoſſibilis. - ibid.
Disjunctiva. - ibid.
Conditionalis. - 162
Cauſalis. - ibid.
Modalis. - ibid.
Exponibilis. - 163
Propoſitiones Oppoſitæ quid ſint. 165
Quotuplices. - 166. &c.
Proprium quid ſit. - - 55

Q.

Qualitas Propoſitionis quid ſit. 150
Quantitas Propoſitionis quid ſit. ibid.

R.

Rectus Caſus. Vide, Caſus Rectus.
Reductio Syllogiſmi imperfecti ad perfectum. Vide, Syllogiſmus.
Reduplicativa Propoſitio quid ſit. 156
Reduplicativè quando ſumatur Concretum. 81
Regulæ bonæ Conſequentiæ. Vide, Conſequentia.
Regulæ Converſionum. Vide, Converſio.
Regulæ de variis argumentandi modis. Vide, Argumentandi modi.
Regulæ Suppoſitionum. Vide, Suppoſitionum Regulæ.
Regulæ Syllogiſmorum. Vide, Syllogiſmus.
Reſtrictio quid ſit. - 122
Modi in ea argumentandi. ibid.

S.

SCripta Propoſitio quid ſit. - 12
Scriptus Terminus quid ſit. - 37
Secundo-Intentionalis Terminus quid ſit. 71
Aliud eſt, eſſe Secundò-Intentionalem Terminum, aliud ſumi Secundò-Intentionaliter. - 72
Significativus Terminus quid ſit. 39
Signum quid ſit. - 40
Quid naturale. - ibid.
Quid ad placitum. - ibid.
Cujus rei ſigna ſint voces non ſignificativæ. - - ibid.
Et ſignificativæ. - ibid.
Simplex Apprehenſio Prima Mentis Operatio. - 8
Simplex modus in propoſitione quid ſit. 153
Quotuplex. - ibid.
Simplex Propoſitio quid ſit. - 153
Quotuplex. - ibid.
Simplex Suppoſitio quid ſit. - 91
Simplex Syllogiſmus quid ſit. - 244
Simplex Terminus quid ſit. - 69
Singularis Propoſitio quid ſit. 158
Singularis Syllogiſmus quid ſit. 144
Singularis Terminus quid ſit. 54
Vocatur etiam Individuum. ibid.
Quotuplex ſit Individuum. ibid.
Sophiſticus Syllogiſmus quid ſit. 245. 325
Ejus Fallaciæ in Verbis. 326
In Rebus. - 328
Sorites quid ſit. - - 242
Species quid ſit. - - 55
Specificativè quando ſumatur Concretum. 81
Status quid ſit. - 119
Subalternæ Propoſitiones quid ſint. 167
Earum Leges. - 174

Sub

Subcontrariæ Propoſitiones quid ſint. 167
Earum Leges. - 174
Subcontrariæ Propoſitiones quid ſint. 167
Earum Leges. - 173
Subjectum quid ſit. - 11
Subſtantiale Concretum quid ſit. 80
Naturæ. - 81
Perſonæ. - ibid.
Supertranſcendentalis Terminus quid ſit, & an detur. - 65
Suppoſitio unde trahat nomen. 88
Quid ſit. - ibid.
Quotuplex. - 90. &c.
Suppoſitionum Regulæ de Subjecto. 101
De Prædicato. - 103
Syllogiſmus quid ſit. - 243
Quotuplex. - 244. &c.
Ejus Principia intrinſeca. 246
Materialia remota. 246
Proxima. 248
Formalia. 249
Principia extrinſeca tum Logica, 265
Tum Metaphyſica. 266
Regulæ Generales. 271
Speciales cujuslibet Figuræ. 289
Syllogiſmorum etiam Compoſitorum, & Expoſitorii. 291
Reductio imperfecti ad perfectum. 310
Quotuplex ea ſit. ibid.
Quomodò medium in eo inveniatur. 315
Syncategorematicus Terminus quid ſit. 67
Quinam Termini ſint Syncategorematici. - 68. &c.

T.

Tabulæ Oppoſitarum ad finem Opuſculi, Cum Regulis in Compendio, Ibidem poſtremâ Tabula.
Temporanei modi in Propoſitione. 154
Terminus variè accipitur. 10

Logicus quid ſit. 14. &c.
An Termini ſint Subjectum, & Prædicatum. 16
An etiam extra Propoſitionem. 17
An Copula formaliter ſumpta. ibid.
An Materialiter ſumpta. ibid.
An Caſus obliqui, Præpoſitiones, Adverbia, Conjunctiones. 18
An integra Propoſitio. 19
An voces non ſignificativæ. ibid.
Ejus Diviſiones ex Re ſignificante. 36. &c.
Ex Re ſignificata. 51. &c.
Ex Modo ſignificandi. 66. &c.
Ex Comparatione ad invicem. 86. &c.
Topicus Syllogiſmus quid ſit. 245. 323
Tranſcendentalis Terminus quid ſit. 65
Quotuplex. ibid.

U.


Verbum quid ſit. 141
Virtualis argumentatio quid ſit. 238
Univerſalis Propoſitio quid ſit. 157
Univerſalis Terminus univerſalitate ſigni. 55
Univerſalitate Prædicati. ibid.
Iſtud ponitur quintuplex: Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens. ibid.
Univocus Terminus quid ſit. 60
Quid ad eum requiratur. ibid.
Sumitur quandoque ſtrictè, quandoque minùs ſtrictè. 63
Ejus ſtrictè ſumpti diſcrimen à Termino Communi. ibid.
Vocalis Propoſitio quid ſit. 12
Vocalis Terminus quid ſit. 37
Voces non ſignificativæ cujus rei ſint ſignum. 40
Et ſignificativæ. ibid.

FINIS INDICI.

LI.

Digitized by Google

Linea Prædicamentalis
Subſtantiæ.




Digitized by Google

Tabulæ Propoſitionum Oppoſitarum.


TABULA PRIMA.

Oppoſitarum Simplicium, & Abſolutarum.



TABULA SECUNDA.

Oppoſitarum Simplicium Singularium.




TA-

Digitized by Google


TABULA TERTIA.

Oppoſitarum Simplicium cum caſu obliquo.



TABULA QUARTA.


Oppoſitarum Copulativarum, & Disjunctivarum.



TA-


TABULA QUINTA.

Oppoſitarum Conditionalium.



TABULA SEXTA.


Oppoſitarum Cauſalium.



TA-


TABULA SEPTIMA.

Oppoſitarum Modalium cum Modo ſimplici.



TABULA OCTAVA.


Oppoſitarum Modalium Temporanearum.



TA-


TABULA NONA.

Oppoſitarum Modalium Localium.




TABULA DECIMA.

Oppoſitarum Exponibilium.




TA-

TABULA UNDECIMA.
Oppoſitarum Contingentium.



TABULA DUODECIMA.
Oppoſitarum in numero plurali.




ROMA
VITTORIO EMANUELE

TA-

TABULA DECIMA TERTIA.

Oppoſitarum cum Regulis in Compendio.



Appendix.

Digitized by Google

Digitized by Google

Propositiones Indefinitæ in materia necessaria & prædicationis directæ æquivalent Universalibus v.g. hæc: homo est animal æquivalet huic Omnis homo est animal. In materia contingenti æquivalent Particulari v.g. homo currit huic aliquis homo currit. Dicuntur autem prædicationis directæ in quibus Ratio superior prædicatur de Inferiori ut in hac homo est animal. Indirectæ: animal est homo.

Q. In qua materia sunt hujusmodi Propositiones? R. in materia necessaria & æquivalere Particularibus v.g. hæc Propositio animal est homo. æquivalet huic aliquod animal est homo, estque in materia necessaria quia necessarium est ut ex omnibus animalibus possibilibus aliquod sit homo.

Hinc: possunt simul veræ esse istæ duæ Propositiones animal est homo: animal non est homo. adeoque non sunt contradictoriæ. Dicunt aliqui rationem superiorem esse illam quæ ad plura, inferiorem quæ extenditur ad pauciora; sed male. Nam si enim plures forent homines possibiles quam equi adhuc homo non esset ratio superior seu prædicatum superius equo. Est ergo illa quæ de omnibus dicitur de quibus alia & præterea de aliis v.g. animal est superius homine. Dominicus 49. p. c. 5.

Quær. Quomodo Intelligendum sit illud pronuntiatum Omnis condicionalis est in materia necessaria & possibili seu in materia naturali, & Remota, nulla autem in materia contingenti. Videtur enim esse Falsum. Nam hæc Propositio Si Petrus a Dextris Joannis dabit est condicionalis & tamen in materia contingenti neque enim Inter condicionem & condicionatum est Connexio necessaria.

R. Cum hoc sit de [illegible] Conditionalibus [illegible] in-
veniuntur [illegible] in illis [illegible] qualitercunque: [illegible]
[illegible] In hac enim [illegible] sine conse-
[illegible] Conditionalis ponit in esse nihil.

Digitized by Google

342

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

344

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

346

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

369

Digitized by Google

Digitized by Google

350

Digitized by Google

Digitized by Google

351

Digitized by Google

Digitized by Google

352

Digitized by Google

353

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PANDIMIGLIO
21 DIC. 1970
LEGATORIA - ROMA

Digitized by Google